



5.8.58


F. Aurelius Brandolinus cognomento Lippus Ma:
thiæ Corvini Hungariæ Regis Consiliarius, Theologus,
Philosophus, Historicus, Poeta, Orator Præclarissimus.
Obiit. A. 1497.
Nicolaus Billy del. et Sculp.



F. AURELII BRANDOLINI
AUGUSTINIANI
COGNOMENTO LIPPI

De Ratione scribendi Libri tres,

In quibus Vir ille doctissimus plura etiam, quæ a Veteribus de arte dicendi tradita sunt, vel omissa, breviter, ac dilucide complexus est.

Prodeunt longe quam antehac emendatiores, cum novo Indice


JUSSU REVERENDISSIMI PATRIS
F. NICOLAI ANTONII SCHIAFFINATI
NEAPOLITANI
E Congregatione S. Joannis ad Carbonariam,
Totius Augustiniani Ordinis Prioris Generalis.

ACCESSIT
Ejusdem LIPPI ORATIO *laudatissima de Passione Domini habita coram Alexandro VI. an.* 1496.




ROMÆ, Typis Rochi Bernabò, MDCCXXXV.

SUPERIORUM LICENTIA.



FR. NICOLAUS ANTONIUS SCHIAFFINATI NEAPOLITANUS

Totius Auguſtiniani Ordinis Magiſter

Bonarum Literarum ſtudioſis ejuſdem Ordinis ſalutem dicit.



UALIS, quantuſque vir fuerit acutiſſimus ſane Lippus, Aurelius noſter Brandolinus, ut ſatis abunde teſtantur, quæ hic adſcribuntur eruditorum Virorum de illo judicia; ita neminem ignorare arbitramur, qui de inclytis xv. Ævi Scriptoribus aliquando nonnihil audivit. Porro, quod ejuſdem libros de Ratione ſcribendi, ante annos ferme ducentos, cura, & induſtria V. C. Sebaſtiani Corradi, ex inemendatis Sanvitorum Fratrum ſchedis recognitos, & Baſileæ primum editos, poſtremo Coloniæ recuſos, nunc iterum vulgandos curavimus; duplici ratione

fecimus. Primo quidem, quia in hac Præfectura, quam plane immeriti gerimus, noſtrarum eſſe partium duximus ſatagere, ne præſtantiſſimi Viri opus diutius neglectum jaceret, & à quavis oblivionis injuria, ſiqua forte ex inopia exemplarium obvenire potuit illud vindicare: quam quidem inopiam & nos ipſi tantam fuiſſe ſenſimus, ut vix exemplum unum Colonienſe nacti in hac noſtra Angelica Bibliotheca, coacti fuerimus eodem uti ex benigniſſimo nutu Clementis XII. Pontificis in nullo non ſummi ad hanc ipſam editionem procurandam. Acceſſit deinde, quod noſtri Sodalitii homines, præſertim vero juniores aſſidua eorumdem librorum lectione ad purioris eloquentiæ, ac dictionis leges conſectandas plurimum juvari poſſe pervidimus; nam etſi vir ſummus ſat probabilibus cauſſis adductus Rhetoricæ præcepta a ratione dicendi ad ſtylum exercendum egregie traduxerit; nemo tamen non intelligit, quam brevi intervallo hæc ab invicem diſtent: ac demum; quod ipſe diſerte profitetur in præfatione ad Fran-

ci-

cifcum * Picolomineum Cardinalem Senenfem ; in hifce libris nihil omiffum fuit eorum , quæ ad artem dicendi pro fufcepta inftitutione pertinere exiftimavit . Verum hæc, ut & noftrum illud ftudium, quo juxta S. P. AUGUSTINI monitum *non tam præeffe vobis cupimus* , *quam prodeffe* , quum legetis (quod ut dies , noctefque faciatis magnopere hortamur) melius , quam ex noftra prædicatione cognofcetis . Ep. 134.



* Qui & poftea Pius III.P.M. filius Nanni Tudefchini opulentiffimi , ut Ciacconius inquit , hominis Senenfis ; Picolomineus tamen dictus, quod eum Pius II. ut purpura, ita & familia donaverit . Erat enim illius ex Laodomia forore nepos .

REIMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanenſis Vicesgerens.

REIMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

ERU-

ERUDITORUM VIRORUM
DE
FR. LIPPO BRANDOLINO
Judicia, ac Testimonia.

Aldus Manucius Epistola ad Angelum Rocca Sacrarii Apostolici Præfectum præfixa Lippi Orationi de Passione Domini, quam idem Manucius edidit anno 1596.

MAgnus sane vir fuit Lippus, magnisque viris acceptus: summis, mediis, infimis apprime carus; præcipueque Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, at quibus Regibus? iis nempe, quorum memoria inter Reges omnes Regia erit semper; Literatis omnibus iisque inter summos summis, Hermolao Barbaro, Pogio, & universis sui ævi. Sed, o utinam ea mihi facultas esset, quæ animo responderet; non desideraremus certe multa, quæ jacent, fortasseque diutius, quam par est, jacebunt....

Orationem de Virtutibus D. N. Jesu Christi, nobis in ejus Passione ostensis, a Lippo Aurelio Brandolino Augustiniano Eremita, ante centum annos, & coram Alexandro VI. Pont. Max., & sacro Senatu, in Sacello Pontificio habitam, atque tantum probatam, ut iterum ac iterum eam repetere Auctor cogeretur, biennium ipsum in sinu a me gestatam, legendam omnibus trado: ne solus tanto bono, sæpius a me devorato fruar. Ciceronem Romanæ eloquentiæ parentem æquat: materie proculdubio superat......

Lippum lege. Cujus alia quoque penes me sunt: Paradoxa nempe Christiana: & Dialogus de humanæ vitæ conditione, ac toleranda corporis ægritudine, ad Matthiam Corvinum, Hungariæ, & Bohemiæ Regem, & ad

Beatricem Aragoniam Reginam ejus uxorem : & *de Ratione scribendi Libri tres*, de quibus quid senserit Sebastianus Corradus, vir is, cui bonæ literæ plurimum, atque plurimum debent, quum in eos, primum a se e tenebris erutos, ad Senatum, Populumque Regiensem ante L. annos præfaretur, hic adscribere volui (*Corradi verba habes in sequenti Elogio.*)

Sebastianus Corradus primus Editor horum librorum Præfatione ad S. P. R. Rhegensem anno 1545.

QUoniam qui profitetur, præceptaque vel carminis scribendi, vel solutæ orationis formandæ tradit, non multum solet proficere, nisi juvenes, qui audiunt stylum, præstantissimum dicendi, & scribendi effectorem, & magistrum exerceant: tres Lippi Brandolini de Ratione scribendi libros nunc primum describendos (sive ut nunc loquimur imprimendos) curavi, cum ut in vestro nomine appareant, tum ut juventuti vestræ ad stylum exercendum prodessent. Nam vir ille, quanvis pene cæcus, certe Lippus, quum Rethoricam in Pannonia invitatus a Mathia Rege docuisset, ex ea præcepta collegit, & a ratione dicendi ad rationem scribendi tam docte transtulit, & tam diligenter accommodavit, ut nihil neque majorum nostrorum, neque nostra memoria doctius, aut elegantius in eo genere scriptum esse videatur. Quamobrem, quum Bartholomæus, & Ludovicus Sanviti Fratres, juvenes mei, literarumque studiosissimi, hosce libros manu Patris, utcunque scriptos mihi dedissent: dignos ego in quibus corrigendis aliquid temporis consumerem judicavi. Quod ego vero feci quam diligentissime potui, neque vero sine magno labore; quum multa fuerint mutanda, omnia interpungenda, & dividenda: verba græca, quæ latine, & perperam fuerant scripta, græce reponenda, & multa multis locis rursus scribenda.

Mat-

Matthæus Bossus Canonicus Regularis Epistola inter familiares 75. ad Hieronymum Campagnolam civem Patavinum. (Hujus Bossi meminit non sine laude Bergomensis in Supplemento ad ann.1490.)

REm inauditam ecce tibi narrabo, allaturam facile tibi miraculum, & quam soles in omnibus exquirere devotionem egregiam.

Audivimus modo Veronæ prophetantem ex pulpito Lippum Florentinum, Religiosum Eremitani Ordinis hominem, & eum a primis ferme vitæ cunabulis oculorum luminibus captum, tanta cum admiratione omnium Præfectorum Urbis, & Civium eruditorum præsertim, ut id complecti satis neque sermo, neque calamus queat. Hic in primis sanctas Literas amat, easque commodissime tractat, atque dispensat. Hic quicquid Philosophiæ illius veteris, quæ ad nos effluxit a græcis gravis, plena, expolita, & emuncta, nostris nunc in gymnasiis nescio quo vitio exoleta, sic bene callet; ut de ea, quum aliquid suscipit; non Burleos; non Paulos Venetos; non Strodos, sed Platonem quidem; Aristotelem, Theophrastum audire videamur. Taceo historiarum quarumcumque monumenta; & quicquid in Oratorum singulo, & Poetarum amplum extat, & nobile; quæ ita sibi suppeditavit, ut ea omnia non tam visus sit didicisse, quam a puerpio illa secum credas adolevisse. Lyra, ut licentius loquar, ei cedit Apollo, & Amphion. Claros vero Poetas hoc uno & superat, quod quæ illi cudebant longa pervigilia, atque lucerna, iste extemporaliter format, & canit. In quo æque abundat tam capax, tenax, fœcundaque memoria, tanta & ingenii, orisque facilitas, ut quod hac in parte de eo dicendum est, tu vix possis aut admittere animo, aut cogitatione, mi Campagnola, complecti; quam tantam rem & ipse antea neque vidisse me unquam, neque quod legerim memini. Cyrus omnes sui exercitus milites recensuisse scribitur nominatim.

tim: Cyneas Romam missus legatus a Pyrrho, singulis Senatus, & Equestris ordinis viris postero quam advenerat die nomina dedisse. Mitridates duarum, & viginti gentium Rex, totidem linguis jura dedisse, singulas pro negociis, & caussis affatus; sic, admirabilis extitisse memoriæ Annæus proditur Seneca. Lippus vero noster in cætu multorum Civium nobilissimorum, literarumque cultorum, ipsoque astante Prætore, quicquid ei ab iis proponi placuit, porrecta illi lyra in quoscumque statim arctavit, & modulatus est numeros. Denique de illustribus quoque, & priscæ gloriæ viris, quibus Patria Verona esset, quæsitus ut diceret: Catullum, Cornelium nepotem; Plinium secundum Civitatis dignitatem, Urbisque splendorem luculentissimo prosecutus est carmine, ac splendidissimis pro merito laudibus, nulla intercedente cogitatione, vel hæsitatione cum mora. Sed illud cetera superat, quod omnem Plinianam naturalem historiam, septem & triginta in volumina discretam, per singula cujusque voluminis capita, quamplurimis, & præclarissimis versibus extemporaliter enarravit prætermissa re nulla memorabili, ac cognitu digna. Qui ludus fuit illi domesticus, & frequentissimus olim apud Sixtum Pontificem Max. ejus nominis IV., vel quum festi Sanctorum dies incidissent decorandi, vel quum argumentum aliud impræmeditato illi proponeretur. Tum namque materias omnes ita prosequebatur extempore, ut nihil posthaberet intactum, quod sive ad gratiam, sive ad veritatem pertineret. At vero dum in concione descendit ad mores, & populariter docet ex pulpito, ea singula, quæ vel extollit, vel in quæ fulgurat, non videntem vidisse utique diceres. Hanc primam tibi Hieronyme isto de homine degustationem pinxi, atque porrexi, quam putavi tibi fore jucundam; & hoc animo etiam, atque consilio, ut illum istuc venientem, quum se ostenderit, possis audire, teque ille.

Her-

Hermolaus Barbarus Epistola ad eumdem Lippum. Edidit hanc Epistolam Aldus Manucius, una cum Lippi Oratione de Passione Domini ad Calcem.

COgnitus mihi pridem fama Lippus, extemporalis in homine facundia. Oratione, tam prosa, quam versu clarus. Urbanitas in eo tanta, ut nec lepor in differendo, nec candor in judicando, desiderari posse videatur &c.

Martinus Brenerus Nuncupatoria ad Nicolaum de Gerend Episcopum Transylvanensem præmissa Lippi Dialogo de humanæ vitæ conditione ab ipso edito anno 1543.

ETsi parum compertum habeam, quisnam ille Lippus fuit; nisi quis eum fuisse putet, cujus alicubi Pontanus meminit: Qui rerum antiquarum, ac Latini sermonis impendio studiosus erat, quique quum paupertate simul & cæcitate laboraret, utrumque tamen malum ea æquitate ferebat, ut neutrum sentire videretur. Fuit profecto vir ille quisquis is fuit, mira ingenii, ac judicii laude præditus, & disciplina exquisitarum literarum eruditissimus, ut qui tanto judicio, ac prudentia res alioqui graves, & ab opinione hominum, nedum delicatissimis Regum auribus abhorrentes, lumine interpretationis, atque adeo Socratica quadam lenitate, ac lepore ita illustraverit, ut communem veterum in hoc scribendi genere laudem, citra controversiam assecutus esse videatur.

Gerardus Joannes Vossius de Historicis latinis lib. 3.

AUrelius Brandolinus, cognomine Lippus, Florentinus, Ordinis Augustiniani Monachus, floruit extre-

tremis Frederici III., ac primis Maximiliani I. temporibus. Cum alia multa consignavit, tum historiam eorum, quæ narrantur in veteri Testamento, item multas Sanctorum historias. Mortuus est Romæ anno 1498.

F. Jacobus Philippus Bergomensis in Supplem. Chronic. ad ann. 1490.

LIppus Aurelius Florentinus, Ordinis Eremitarum Divi Augustini, & ipse a nativitate quasi semper cæcus, vir certe eruditissimus; sed eloquentissimus, ac disertissimus imprimis, poetaque consummatissimus, atque multarum aliarum disciplinarum, maximeque Musicæ sufficienter edoctus hisce temporibus in Hungaria, atque Italia omni clarus extitit. Cujus tanta fuit memoriæ tenacitas, ut Garsia Pirrhi Regis orator haberetur, & ejus fama ubique explendesceret: A Matthia gloriosissimo Pannoniorum Rege ascitus, & Budæ, & Strigoniæ multis annis publico munere magna cum laude oratoriam docuit. Inde Florentiam dulcem Patriam reversus, Ordinis habitum induens, haud multo tempore propter ingenii, & eruditionis magnitudinem Sacerdos ordinatus, etiam concionator evasit egregius, atque disertissimus Orator. Nam quum aliquam ingrederetur civitatem prædicaturus, & Ecclesiarum Prælati, atque alii doctissimi viri quadam incredibili voluptate illum audire satagebant. Eratque adeo facilis in cudendis versibus cujuscumque generis, ut quidquid dicere volebat versus esset &c.

Fr. Thomas Herrera in Alphabeto Augustiniano.

LIppus Aurelius, sive Aurelius Brandolinus Florentinus, cognomento Lippus, utpote a nativitate quasi semper cæcus, illustri genere natus, circa annos 1494, mirum in modum claruit. Extant ad eum Baptistæ Poggii

gii Epistolæ, quibus ejus nomen summa cum gloria celebratur. Edidit pro ingenii sui magnitudine plura commentaria soluta oratione, plurima carmine... Romæ ex Peste, ut Bergomensis est Auctor, diem clausit extremum. At non anno 1498., ut idem Bergomensis, & Pamphilus tradidere; Marianus enim de Genazano die 19. Octobris anno 1497. in suo Registro sic habet: Dedimus literas ad M. Gratiannm Procuratorem Ordinis, dolentes mortem F. Lippi Aurelii Florentini, qui per adversam valetudinem præfati Procuratoris, ejus loco petorare debebat in Capella D. N. Papæ.

Louys Morery dans le grand Dictionaire historique.

BRandolini (Aurelius ou Aurelio) surnommè, Lippus, de Florence, Religieux de l'Ordre de Saint Augustin, a fleuri dans le XV. siecle. Il Etoit Historien, Orateur, & Poete; & ses Ouvrages luy acquirent une très-grande reputation.

Fr. Dominicus Antonius Gandolfus in Dissertatione histor. de ducentis celeberrimis Augustinianis Scriptoribus pag:85.

AUrelius Brandolinus Florentinus, Matthæi q. Georgii filius, cognomento Lippus, utpote a nativitate pene cæcus, Philosophus, & Theologus disertus, Poeta celeberrimus, nec non Musicus, ac Rethoricæ artis peritissimus.... Extitit quoque Præceptor Joannis Mariæ de Monte, postea Julii III. Summi Pontificis. Justis præconiis decoratur ab omnibus Ordinis Scriptoribus post Bergomensem, atque Pocciantio in Florentinis pag.21., Possevino pag.174., Frisio 146., Verderio 47., atque ab Henrico Warthon 118., aliisque.

DE

DE LIPPI BRANDOLINI

SCRIPTIS

FAcile quidem plura alia de Lippo nostro probatissimorum Auctorum judicia, ac testimonia afferri potuissent. Verum quum hæc non contineant nisi pura puta ejusdem encomia, de quibus sat magnifice in præcedentibus: ideo consultum est iis omissis Scriptorum ejus seriem statim apponere, quod certe præstandum fuit temporis ordine minime servato; nec dum enim compertus nobis esse potuit annorum illius vitæ numerus, quemadmodum multa etiam ignoramus, quæ facere possent ad ejusdem Lippi historiam contexendam.

Primo ergo inter opera Brandolini, quæ pessimo Scripturarum optimi generis fato vel interciderunt, vel adhuc obscura jacent in Bibliothecis, numerandi sunt *libri de Lingua latina*, quorum nemo hactenus quidem meminit; sed ab eo fuisse conscriptos, immo & vulgatos clarissime ostendunt ejusdem verba lib.3. de Ratione scribendi cap.24., ait enim: *Sed hæc quoniam & plura sunt, quam breviter comprehendi possint, & a nobis magna ex parte* in libris de lingua latina *pertractata, non sunt hic latius repetenda*.

Secundo, Historias omnes veteris Testamenti elegantiori stylo congessit, ut inquit Bergom. in Supplem., quod sane opus, meo judicio, non differt ab eo, quod memorat Gandolfus hisce verbis: *In sacram Historiam Hebræorum, Romæ in Altempsiana*.

Tertio, in omnes Epistolas S. Pauli Commentarii.

Quarto, Historiæ multæ Sanctorum.

Quinto, de Legibus opus pulchrum.

Sexto, Liber, in quo carminibus heroicis vetus, & novum Testamentum complexus est.

Septimo, Orationes permultæ elegantissimæ, præsertim de Passione Domini, coram Alexandro VI. *Omnia ex citato Supplemento, & aliis*.

Octavo, de Comparatione Reipublicæ, & Regni ad Laurentium Medicem.

Nono, de Laudibus ejusdem Laurentii Medices. Utrumque in Laurentiana Medicea ex Gandolfo, qui omnium primus videtur hæc prodidisse.

Opera Brandolini Typis edita, hæc sunt.

PAradoxa Christiana. Basileæ 1545. Romæ 1581.

De humanæ vitæ conditione, & toleranda corporis ægritudine Dialogus. Basileæ 1543.

Carmina in morte Platinæ. Extant in calce operum ejusdem Platinæ. Et ex Gandolfo duo Rithmi, vulgo *Sonetti*, in laudem Laurentii Medices.

De Ratione scribendi Libri tres. Basileæ primum (si fides est Gandolfo) apud Oporinum 1549. Ibidem 1585. Coloniæ 1573.

Ceterum quod spectat ad nostram hanc editionem animus sane fuit Poetarum, Oratorum, tum præsertim Auctoris ad Herennium, & aliorum sententias, ac verba, quæ in hisce libris allegantur per distinctos charactères efferre, & loca ex quibus desumuntur ad oram describere. Sed quoniam præconcepta spe comparandi alterius exemplaris, quod esset ad manum, dejecti non fuimus nisi post opus a Typographo inchoatum; & aliunde satis festinum se hic præbebat ad opus ipsum explendum, consilium illud nostrum perfici nequaquam potuit; & contigit, ut inviti hac in parte sequeremur Typos Colonienses: quorum denique tollendis mendis pene innumeris (ut nihil dicamus de Ortographiæ inconstantia) etsi tantum curæ sit impensum, ut conjectura, immo & divinatione usi simus: tamen factum non est, quin hæc pauca, & levia superessent studioso Lectori emendanda.

Pag. 45. *lin.* 12. & 13. Cœcus, *lege* cæcus.
Pag. 73. *lin.* 19. simillibus, *lege* similibus.
Pag. 125. *lin.* 17. coporeæ, *lege* corporeæ.
Pag. 141. *lin.* 13. tabellarius, *lege* sane melius tabellariis.

Se-

Sequentibus præterea locis desumptis à Lippo ex libris ad Herennium sic restituenda erit genuina lectio ex iisdem libris.

Pag. 59. *lin.* 11. cæso cecidissent abiegnæ ad terram trabes, *lege* cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes.

Pag. 271. *lin.* 19. Tatæ, *lege* Tati.

Pag. 279. *lin.* 11. venit a te, *lege* veniit a te.

Pag. 285. *lin.* 26. ostendas, *lege* ostentas.



IN-

INDEX
CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

XIV.

CAPITUM

LIBER TERTIUS.

IN-

INDEX

RERUM, ET VERBORUM.

A

Ar-

B

Ca-

Rerum, et Verborum.

C

D

E

In

F

G

H

I

In-

L

Lex

M

N

O

P

Pro-

RERUM, ET VERBORUM.

Q

R

S

Tran-

T

V



LIP-



LIPPI BRANDOLINI
IN LIBROS
De Ratione ſcribendi,
Ad Franciſcum Picolomineum Cardinalem Senenſem
PRÆFATIO.



ULTA *quidem, atque ingentia munera nobis ab illo optimo Parente, ac Redemptore noſtro collata ſunt, ſapientiſſime Pater: nullum tamen, neque majus, neque præſtabilius, neque humano ingenio dignius eſt divinarum humanarumque rerum cognitione, atque ſcientia; quam quidem ſapientiam majores noſtri appellavere. Nam quum participes rationis, ac divinitatis ſimus, nihil habemus, quo avidus intelligendi animus tantopere delectetur, quo*

tantopere alatur, in quo denique tantopere acquiescat. Opes enim, honores, imperia, voluptates, ceteræque res omnes, quæ ab hominibus expetuntur, atque in precio summo habentur, partim tam fluxæ, atque instabiles, partim tam plenæ curarum, ac sollicitudinis sunt, ut omnem animo non modo delectationem, sed tranquillitatem quoque, ac sui ipsius potestatem eripiant. Hæc una rerum divinarum, humanarumque scientia, ita propria animi, & perpetua possessio est, ut cui semel est parta, ei vi aliqua eripi, auferrique non possit; delectationem vero, & suavitatem animo tantam affert, ut eum ab omni alia cura, & cogitatione ad sui studium, & contemplationem traducat. Huc accedit immensa quædam, & incredibilis animi quies, atque tranquillitas, quæ hac una contemplatione comparatur. Animus enim pulcherrimarum, atque altissimarum rerum studio, & investigationi deditus omnem sollicitudinem, cupiditatemque deponit, humana omnia contemnit, ac pro nihilo ducit, omni denique affectu, ac perturbatione vacuus, solutusque quiescit. Ratio autem, & peritia bene, beateque vivendi hinc potissimum sumitur. Animus enim optimis præceptis, exemplisque saluberrimis institutus, sive sibi victurus, sive aliis præfuturus sit, facile totius vitæ cursum videt, ad eamque traducendam omnes rationes, & consilia comparat, seque

ipsum

ipsum ad ea, quæ legit, quæ audivit, quæ observavit, accommodat ita, ut qui ex literarum cognitione degendæ vitæ rationes, fructumque non capiunt, hi mihi nescire omnino literas videantur. Porro hæ quantum in secundis rebus ornamentum, quantum in adversis præsidium afferant, incredibile dictu est. Præstant enim in alteris moderationem, mansuetudinem, [auctoritatem: in alteris animi magnitudinem, patientiam, humanarum rerum contemptionem; contra, ex illis superbiam, atque elationem omnem:, ex his omnem dolorem, atque ægritudinem adimunt adeo, ut hæc una ad expellendos omnes animi morbos, affectusque sedandos medicina optima, atque accommodatissima sit ab omnibus semper judicata. Postremo hæc una contemplatio nos in cœlum rapit, & quantum homini scire fas est, usque ad ipsius Dei cognitionem ducit. Hæc immortalem nostrum animum ad suam originem redire cupientem mira quadam ejus, quam optat, beatitudinis spe, & quasi prægustatione incendit, & quoad fieri potest, Deo proximum, atque simillimum reddit. Quam quidem rem sapientissimus nobis ille Paulus verissime, atque apertissime declaravit, quum per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habere nos jussit. Tuum itaque tam præclarum institutum, sapientissime Pater, ego quidem satis commendare, admirarique non possum:

 sum:

sam: qui in maximis opibus, in amplissimo fortunæ, ac dignitatis gradu, in summa apud omnes homines existimatione, atque auctoritate constitutus, ceteris rebus omissis, te totum sapientiæ studiis, contemplationique tradideris, eaque, de quibus inter se homines contendere, atque digladiari solent, despicias, ac pro nihilo ducas. Neque tu solum id facias, sed a tuis quoque faciendum cures. Egregium sane, & dignum sapientissimo viro, & Cardinale religiosissimo institutum. Quod quidem tametsi tu a sanctissimo viro, Patruo tuo Pio II. Pontifice Maximo tanquam hæreditarium munus accepisti: qui quidem in maximis regendæ Christianæ Reipublicæ, & totius pene terrarum orbis administrandi laboribus, ac occupationibus positus ea, per quæ ad locum illum pervenerat, literarum studia nunquam deseruit: habes tamen a benignitate quadam naturæ tuæ, ingenii magnitudine, ut a studiis illis, quæ optima, atque religiosissima esse sentis, distrahi, avocarique non possis. Perge igitur, Pater optime, ut facis: perge, inquam, tibique persuade id, quod divinitus a Salomone primum, deinde etiam a Platone est dictum, sapientiæ possessionem esse omni auro, divitiisque meliorem, speraque fore, ut ejus rei fructus quanquam nunc magnos percipis, majores tamen in dies singulos, uberioresque percipias. Ego quidem, quanquam neque doctri-

næ,

næ, neque ocii ad contemplandum satis habeo, ejus rei tamen incredibilem quotidie fructum capio. Nam quum ab ineunte ætate sim in maximis semper angustiis, ac laboribus corporis, animique versatus cum ob naufragium rei familiaris nostræ, tum ob hanc, quæ totum corpus aggravat, cæcitatem: unum hoc literarum præsidium, unum hoc solatium semper habui, quo calamitates omnes, & præsentes constantissime toleravi, & adventantes fortissime repuli. Hodie quoque quum nihilo minus, atque haud scio, an etiam magnæ fortunæ procellis exagiter, amissa ob temporum perversitatem quiescendi spe, ab hoc uno literarum studio & vitæ præsidia, & animi relaxationem peto. Dies enim aliis instituendis, noctes mihi, quantum licet, impendo. Ne vero nocturna etiam studia nostra a communi utilitate disjuncta sint, quum solis nobis nati non simus, conor aliqua assidue lucubrare, quo non mei solum animi delectationibus, sed ceterorum etiam tum viventium, tum posterorum utilitati prospiciam. Itaque quum cogitarem, si quod esset, in quo ego mea opera, & industria nostris hominibus prodesse possem, viderem que permulta de ratione dicendi tum a veteribus, tum a nostris conscripta volumina, de scribendi ratione ab illis nihil traditum esse: digna mihi visa res est, & nostris hominibus necessaria, de qua aliquid conscriberetur,

præsertim quum hoc tempore quicquid est eloquentiæ, id in scribendo tantum exerceatur, dicendi exercitatio pene tota defecerit. Nam accusandi, & defendendi ratio, ad quam omnes eloquentiæ vires, omnis dicendi facultas a veteribus comparabatur, mutata fori judiciorumque consuetudine, sublata penitus atque extincta est. Sententiæ in Senatu *apud ceteras civitates patria, & communi lingua, hic in nostro colloquio & breviter, & minus latine dicuntur ita, ut in illis dicendi facultas locum non habeat. [Conciones quoque patria fere oratione pronunciantur, paucæ admodum aut Sanctorum, aut Defunctorum laudationes latina lingua habentur, atque hæ quoque ab illa veteri oratoria in novam quandam, & barbaram consuetudinem ab his, quos Fratres appellamus, commutatæ sunt.] Sola jam nobis scribendi ratio relicta est, in qua versari possit eloquentia. Atque hanc quidem præceptionem veteribus eam existimo fuisse caussam primam literis non tradendi, quod partim cum dicendi ratione conjunctam esse arbitrarentur, partim sciri hæc ab omnibus tamquam vilia, & vulgata conspicerent. Nobis, qui neque in dicendo exercemur, neque hæc scire alibi possumus, necessario tradenda esse censui. His igitur de caussis scripsi superiori anno de scribendi ratione libros tres, in quibus & ea, quæ erant de arte dicendi a veteribus tradita, quæ quidem*

dem usui nobis esse possent, breviter, atque dilucide sum complexus, & quæ ab illis prætermissa fuerant, quantum potui, longa observatione collegi. Nam & quæ ab illis de sex partibus orationis, de caussarum generibus, de dispositione, de elocutione præcepta fuerant, quantum ad hanc institutionem conferre visa sunt, non omisi, & quo pacto ad omnem singillatim materiam accommodari possit inventio, (quæ res adhuc intacta fuerat) diligenter, copioseque tractavi: atque ut ejus rei certa præceptio tradi posset, epistolam, quoniam eo maxime scribendi genere utimur, quasi formulam quandam, in qua Scriptor versetur, accepi, ad eamque scribendam omnem præceptionem nostram accommodavi. Quos quidem libros, quia neque adhuc satis emendatos putabam, neque publicandi gloriam affectabam, libenter apud me continebam. Quum autem tu eos a me his diebus & coram, & per Augustinum fratris tui filium, præstanti ingenio, moribusque optimis adolescentem, pro tua consuetudine petiisses, quod fore illius institutione eos non inutiles judicares, non sum passus, pro tua summa erga me benevolentia, meaque in te incredibili observantia, eos abs te diutius desiderari, Augustinumque ipsum hac utilitate, si qua ex nostris libris ei proventura est, ulterius carere: imo in magna mea felicitate duxi, res nostras tibi aliqua ex parte vel ju-

cundas, vel utiles esse posse. Eos itaque tibi, sapientissime Pater, quam possum emendatissimos quam primum exhibeo, ne, si eos apud me diutius emendando detineam, vel Augustini commodum, vel tuam cupiditatem videar remorari. Peto tamen abs te, ut non tibi pro amplitudine, & sapientia tua dedicatos fuisse, sed ad Augustinum instituendum tanquam in servitutem missos esse existimes. Nam quæ tibi dedicanda sunt, & majora, & meliora sint necesse est. Ea si quando a nobis scribentur, ad te potissimum scribentur. Hos interea libros accipies, ut tibi aut non legendos, aut si legeris, emendandos putes. Dabis autem operam, ut hæc, quæ præcepta sunt, ab Augustino non discantur solum, sed diu, multumque exerceantur. Omnis enim dicendi, scribendique facultas, una exercitatione perficitur. Quam quidem ad rem, ne quid ei deesse possit, me, quum volet, socium, adjutoremque habebit. Sed suavitate consuetudinis tuæ, & studio tecum colloquendi evectus sum longius fortasse, quam debebam, brevius certe, quam volebam. Quamobrem ad ipsam nunc præceptionem veniamus.

* * *

LIP-


LIPPI BRANDOLINI

De Ratione ſcribendi ,

LIBER I.

Quid ſit Epiſtola, & unde dicta ſit.

CAPUT I.



Uoniam igitur omnis ſermo noſter de ſcribendi ratione futurus eſt, eaque in epiſtola tanquam in ſubjecto quodam, & quaſi ſpeculo demonſtranda eſt, placet primum Philoſophorum more definire quid ſit Epiſtola, ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſputetur: atque eam in ſua genera dividere, deinde de rebus ad ſcribendi rationem neceſſariis pertractare, tum ſingulorum præcepta tradere, atque ad ea noſtram orationem accommodare. Eſt igitur Epiſtola ſermo ad abſentes de re ad eorum alterum pertinente conſcriptus. Græci ἐπιστολὴν eam vocant, ἀπὸ τοῦ ἐπιστέλλειν, quod eſt mittere. Nos quanquam epiſtolæ nomen in tam frequentem uſum recepimus, ut noſtrum quodammodo feciſſe videamur: tamen literas appellamus; illud autem in ſoluta oratione ſervamus, ut

ad

ad elementorum differentiam eas in plurali dumtaxat numero, quas ad absentes scribimus, literas appellemus. Poëtæ singularem etiam numerum usurpant.

De Inventione, & generibus epistolarum.

CAPUT II.

A Quibus vero primum inventa sit epistola, neque ego satis exploratum habeo, neque existimo quæri curiosius oportere; non enim ad eam, quam suscepimus, Institutionem magnopere pertinet: neque a rerum gestarum scriptoribus, quod ego sciam, memoriæ proditum est. Illud inter omnes constat, hoc scripti genus ómnium antiquissimum esse. Nam quum primum literæ inventæ sunt, statim ad absentes scribi cœptæ sunt: & fortasse hac potissimum de caussa etiam sunt inventæ, ut cum absentibus loqueremur; necessitatis enim gratia, quum antea non essent, inventas certum est, ut absentes ea, quæ audire, aut videre non poterant, quoquo modo cognoscerent. Quod quidem hinc vel maxime deprehendi potest, quod Ægyptii, antequam literarum usum haberent, figuris quibusdam, atque imaginibus rerum depictis, quæ ἱερογλυφικὰ dicebantur, ea, quæ volebant,

bant, designabant. Ex quo fit, ut scribendarum epistolarum consuetudo antiquissima sit, neque habeat auctorem ullum satis certum, cui ejus rei assignari possit inventio: sed sit ante ullas literas ab ipsa necessitate inventa, imo cum ipsis pene hominibus nata. Scribendi autem illa potissimum caussa fuit, ut cum absentibus de nostris, vel aliorum rebus communicaremus: quæ ratio assignari utilitati potest. Accessit deinde etiam animi delectatio, ut cum amicis jocaremur, eorumque consuetudine etiam absentes frueremur: qui quidem amicitiæ fructus est maximus. Finis autem epistolarum Scriptori est ille idem propositus, qui oratori: ut doceat, ut moveat: nam delectare, quod tertio loco posuit Cicero, in movendi parte collocandum puto. Quid enim est aliud delectare, quam animum ad lætitiam, ad voluptatem, ad cupiditatem, ad spem, & ceteros affectus concitare? Sed Cicero aliam fortasse rationem est secutus, nos duplici tantum fine contenti, docendi, & movendi, epistolarum duo genera omnino existimamus esse: alterum, quod ad docendum: alterum, quod ad movendum sit. Ac superius illud quidem, ac maximum docendi genus, quum latissime pateat, duo genera ex sese facit: unum, quod in præceptis, & studiis li-

liberalium disciplinarum: alterum, quod in actionibus vitæ civilis, ac negociis positum est. Illud studiosum, sive contemplativum: hoc activum, sive negociosum possumus appellare. Ac studiosum quidem illud in duo rursus genera dividitur: unum, quod ad res divinas pertinet, quod Apostoli secuti sunt, item Dionysius Areopagita, Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, aliique complures: alterum, quod ad virtutes, moresque, & instituta Philosophiæ tradenda maxime accommodatum est. Quo ex Græcis Democritus, Plato, aliique permulti frequenter usi sunt, ex nostris potissimum Seneca. Illud vero, quod activum appellavimus, quoniam in summà vitæ communis varietate versatur, certis generibus conprehendi non potest, species habet pene infinitas. In eo, quoniam latissime patet, atque ad omnes pertinet, omnes pene versati sunt, hodieque versantur: sed ex omnibus, quos habeamus, ut in ceteris, quæ ad doctissimum hominem spectant, partibus, ita in hac maxime floruit Cicero. Posterius illud scribendi maximum genus, quod ad movendum accommodatum esse diximus, in duo item distinguitur genera: unum, quod ad concitandos, alterum, quod ad sedandos animi affectus pertinet. Hoc instituendi gratia remissi-

vum,

vum, illud concitativum, opinor, appellemus. In horum utroque ita verſatus eſt, atque excelluit Cicero, ut cum illo conferri poſſit nemo. Nec deſunt, qui hoc movendi genus, non in hæc duo concitandi, & ſedandi, ſed in alia duo diſtinguant genera: quorum alterum ſit ſeverum, & grave, quod ad triſtitiam, metum, iram, dolorem, affectuſque graviores, vel concitandos, vel ſedandos pertineat: alterum familiare, & jocoſum, quod affectus habeat jucundiores, materiamque leviorem. Ego ſuperiorem diviſionem, quæ & melior, & clarior eſt, magis probo. Atque hæc fere ſunt epiſtolarum genera. Species vero, quoniam innumerabiles ſunt, perſequi infinitum & ſupervacuum eſſet. Nos eas, quæ & inſignes, & neceſſariæ maxime videbuntur, quum ad earum præcepta pervenerimus, colligemus. Nunc in quo genere cauſſarum verſari poſſit epiſtola, oſtendemus.

In quo genere cauſſarum verſetur Epiſtola.

CAPUT III.

TRia ſunt cauſſarum genera, quæ recipere debet orator, ut & Cicero tradit, & omnes ferme ſcriptores conſentiunt: Demonſtrativum, quod in alicujus laude, aut

aut vituperatione est positum: Deliberativum, quod habet suasionem, & dissuasionem: Judiciale, quod habet accusationem, vel defensionem cum petitione. Horum generum, quod potissimum epistolæ proprium dici possit, non video. Nam tametsi in epistola multos sæpe laudamus, multos vituperamus: suademus item, & dissuademus, accusamus, & defendimus, ac petimus: non tamen ea propria dicenda sunt epistolarum. Id enim proprium cujusque rei dicitur, quod ei vel soli, vel maxime convenit, quo quidem res illa carere sine suo magno detrimento, & imminutione non potest, ut risus hominis, numerus carminis proprius esse dicitur. His autem generibus caussarum magna pars epistolarum caret, ut non modo ea non desideret, sed ne recipere quidem ullo modo possit. Quo enim ex generibus utuntur, qui per epistolam narrant res gestas, qui negocia exponunt, hi qui docent, hi qui jocantur, qui denique varios affectus describunt? Sed laudatur etiam in his epistolis, aut vituperatur aliquis; incidunt sæpe consultationes, petitiones, & alia his similia. Fateor: non tamen est illa principalis epistolæ subjecta materia, quam tractet, & in qua versetur, sed extrinsecus accersita. Habere autem multas etiam epistolas lau-

laudem, vituperationem, deliberationem, petitionem, & quæ sunt ejusdem generis, ut propriam, principalemque materiam: & tunc ea caussarum genera recipere posse, non negaverim. Sed esse omnibus epistolis tanquam propria recipienda, non censeo. Recipere hæc igitur omnia caussarum genera ut aliena interdum potest, ut propria semper non potest. Sed de generibus caussarum satis.

De rebus ad scribendum necessariis.

CAPUT IV.

TRia igitur habere debet is, qui ad scribendum accedit: inventionem, dispositionem, elocutionem. Nam memoria, & pronunciatio, quæ oratori maxime necessariæ sunt, huic non sunt ita expetendæ. Ea enim, quæ literis mandamus, memoria, & actione non egent. Inventio est excogitatio earum rerum, quas scribere volumus. Veræ, an falsæ sint, non semper refert. Non enim idem finis semper nobis propositus est, qui oratori, ut persuadeamus: sed delectare interdum eum, ad quem scribimus, apologis, & jocis satis ducimus, quos veros esse, non semper est necesse. Dispositio est conveniens rerum inven-

ventarum ordo in singulis rebus, partibusque servandis. Elocutio est elegans, & ornata verborum, sententiarumque compositio. Harum partium ut inventio est maxime necessaria, (scribere enim quidquam, nisi prius invenerimus, non possumus) ita elocutio meo judicio difficillima, nobis præsertim, qui hanc linguam non quasi patriam habemus, ut veteres, sed quasi peregrinam discimus: neque habemus ex illorum scriptis sane multa, ex quibus possimus absolute linguam perdiscere; multa enim sunt, quæ, quo modo latine exprimamus, non habemus. Quamobrem multo magis est in elocutione nobis, quam veteribus elaborandum. Hanc tamen, & reliquas partes tribus illis rebus, quas tradit Cicero, assequi poterimus, arte, imitatione, exercitatione.

De Arte, Imitatione, Exercitatione.

CAPUT V.

Ars est præceptio vel ad dicendum, vel ad aliud quippiam agendum accommodata, quæ naturæ tum observatrix, tum adjutrix esse dici potest. Ea veteres magna in scribendis epistolis utebantur; sed ejus rei præcepta separatim non reli-

que-

quere: propterea quod cum eo, quem instituebant oratorem, conjuncta viderentur. Nos, qui illud jam assequi non possumus, huic incumbimus, hoc magnum existimamus, hinc præcepta exquirimus. Illud tamen in primis observandum est, ut artem, quantum possumus, dissimulemus. Illa enim erit optima demum, & artificiosa epistola, quæ minime affectata, artificiosaque videbitur. Imitatio est diligens conatus ejus exprimendi, cujus in re aliqua similes esse volumus: hæc ab optimis est petenda semper. Stultum est enim,ut ait Plinius,sibi ad æmulandum non optima quæque proponere. Atque hac quidem in re quem cum Cicerone comparemus,habemus neminem: qui non solum est optimus, sed in hoc genere pene solus. Nam Plinium nepotem ei, qui aliquid eloquentiæ assequi velit, ego quidem imitandum non puto. Danda est igitur opera, ut Ciceronis quam simillimi esse possimus. *Nam*, ut ait Quintilianus, *ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit*. Exercitatio est assidua consuetudo ejus rei, in qua proficere volumus, faciendæ. Hæc multa scriptione comparatur: cujus rei unusquisque sibi magister esse potest. Tantum autem hæc una res cum ad cetera omnia, tum vel maxime ad dicendum valet, ut sola sine ceteris multum

B pos-

possit, ceteræ sine hac nihil omnino. Hac veteres tam frequenter usi sunt, ut Hortensius summus Orator nullum præterire diem pateretur, quo se non aut domi, aut in foro dicendo exerceret: sæpe utrumque eodem die faceret. Sed quoniam quæ res ad scribendum essent necessariæ, & quibus modis eas assequi possemus, satis diximus: nunc ad inventionem redeuntes, ejus partes considerabimus, & quo pacto ad epistolam singulæ accommodari possint, ostendemus.

De partibus Inventionis.

CAPUT VI.

INventio sex omnino partes habet, Exordium, Narrationem, Divisionem, Confirmationem, Confutationem, Conclusionem: harum partium aliæ aliis epistolis necessariæ sunt, omnes omnibus non sunt: imo vix existimo posse accidere, ut una eademque epistola has omnes partes recipiat. Orationis enim tunc, non epistolæ nomen assumeret: pauciores tamen quam duas, Conclusionem, & aliam quamvis sive Narrationem, sive Confirmationem habere potest nulla. Quando autem sit earum unaquæque necessaria, suis

ſuis locis aperiemus; ab exordio enim incipientes de ſingulis nunc partibus tractabimus.

De Exordio, & cauſſarum generibus.

CAPUT VII.

Exordium eſt artificioſum principium, quo animus vel lectoris, vel auditoris ad legendum, audiendumve paratur. Eo non ſemper in epiſtola utendum eſt, quando autem ſit utendum, tum cauſſa, tum perſona nos admonebit. Cauſſarum genera, ut ſcribit Cicero, quem potiſſimum auctorem ſequimur, ſunt quatuor: honeſtum, turpe, dubium, & humile. Honeſtum eſt, quum recte defendimus, oppugnamuſque contraria, ut quum homines ad virtutes cohortamur, deterremus a vitiis. Turpe contra genus eſt, quum ea, quæ videntur ab omnibus vituperanda, defendimus, & laudamus; aut quæ laudanda, vituperamus, ut ſi quis virum bonum, & quem omnes laudandum putent, vituperare, & in odium ejus, ad quem ſcribit, adducere velit; aut contra, ſi quis obſcurum, & ignavum hominem, & qui malus ab omnibus judicetur, commendet, & bonis, ac ſtudioſis anteponendum ducat. Dubium genus

est, quod habet in se turpitudinis, & honestatis partem, ut si quis clarum, atque honestum hominem, ceterum flagitiosum, & improbum commendet, ac præferat. Humile genus est, quum rem vel nostram, vel eorum, ad quos scribimus, dignitate multo minorem, inferioremque tractamus, ut si quis à Summo Pontifice vel parvam vestem, vel exiguam pecuniam per literas petat. Personarum vero tria genera sunt: nostra, qui scribimus, eorum, ad quos scribimus, & eorum, de quibus scribimus. Caussa igitur posita, personæ considerandæ sunt. Si honesta sit, nec valde gravis, aut difficilis, & inter pares personas sæpius agitata, aut nullo, aut peregrino exordio utendum est. Si nova, gravis, aut difficilis: item si is, ad quem scribimus, nos vel ætate, vel dignitate, vel honore, vel potentia, vel virtutibus, vel aliis partibus antecedat, longiori exordio uti necesse est. Si de negociis notis inter nos, usitatisque ad quemvis scribamus: item si literis aliorum respondeamus, propositio rei, de qua scripturi sumus, pro exordio erit. Cetera caussarum genera aliud atque aliud, omnia tamen exordium exigunt. Nos quum de singulis epistolarum generibus præcepta trademus, quo pacto in singulis exordiri conveniat, aperiemus. Illud in præsentia satis erit ad-

admonere, in omni exordio lectorum animos, quam maxime possumus, esse conciliandos. Conciliantur autem tribus illis rebus, benevolentia, docilitate, attentione; sed benevolentia in primis ea captatur vel a rebus, vel a personis: a rebus quidem, si eas utiles, vel honestas, vel laudabiles, vel cognitione dignas, vel certe jucundas, voluptatisque plenas ostendemus; a personis tripliciter pro ea, quam modo fecimus, personarum distinctione. A nostra quidem, si nostram erga illos benevolentiam, amicitiam, consuetudinem, observantiam, servitutem etiam, si poterimus, si nostram perpetuam voluntatem, nostra in eos studia, officia commemorabimus: item, si a nobis omnem arrogantiæ, superbiæ, ambitionis, cupiditatis suspicionem removebimus: si quid de nostra vita, aut doctrina sine arrogantia proferemus: item, si aut splendorem nostræ familiæ, aut nostras calamitates indicabimus: item, si spem, dignitatem, salutem nostram in illis positam esse dicemus: item, si nostram curam, sollicitudinem, diligentiam in eorum rebus, in eorum salute, aut dignitate esse ostendemus. A lectorum persona benevolentiam contrahemus, si eorum in nos, vel in patriam, vel in bonos omnes officia, studia, merita, benevolentiam, observan-

 tiam,

tiam, voluntatemque referemus: si eorum sapientiam, mansuetudinem, pietatem, fidem, beneficentiam, animi magnitudinem, constantiam, modestiam, ceterasque virtutes collaudabimus: item, si genus, opes, copias, honores, dignitates, potentiamque commemorabimus: atque hæc omnia ad eam, quam scribimus, materiam accommodabimus. Ab eorum, de quibus scribimus, persona benevolentiam comparabimus, si eorum nobilitatem, virtutem, probitatem, vitam, ceteraque animi, cum fortunæ, tum etiam naturæ bona, ut opus esse videbimus, pro subjecta materia extollemus: item, si quales in patriam, in ceteros amicos fuerint, quales in eos ipsos, ad quos scribimus, futuri sint, ostendemus: item si eorum miserias, calamitates, solitudinem, inopiam, necessitatemque aperiemus: si ostendemus, quantum fiduciæ, quantum spei, quantum præsidii in illo, ad quem scribimus, positum esse ducant: si omnem illos salutem, dignitatem, fortunas omnes in ipsius potestate collocasse dicemus: atque his fere modis benevolentia parari solet. Dociles lectores faciemus, si breviter, quibus de rebus scripturi sumus, dilucideque ostendemus: si caussas, quæ nos ad scribendum adduxerint, proferemus: si rei, de qua scripturi sumus, fundamen-

menta quædam, & quasi semina jaciemus. Denique nostris legendis attentos reddemus, si pollicebimur, nos de rebus magnis, novis, inusitatis, & ad communem eorum, qui legent, utilitatem, dignitatem, laudem, salutemve pertinentibus esse scripturos. Attentos faciemus item, si spem, voluptatem, delectationemque afferemus: si metum, dolorem, ceterasque animi perturbationes nostris literis sublaturos, aut magna ex parte sedaturos esse pollicebimur: item si de Deo, de rebus cœlestibus, de summa Religionis, de summa Reipublicæ tractaturos nos esse dicemus: denique si alio, quo ceteri solent, modo scripturos nos esse ostendemus. His fere modis animi Lectorum in principiis conciliantur; fiunt autem hæc tum apertius, tum occultius pro caussæ honestate, ac dignitate personæ: quum apertius fiunt, principium: quum occultius, insinuatio dici solet, quæ fit quum caussæ,& personæ diffidimus, ut is, ad quem scribimus, caussæ, aut personæ genere offendatur, & tamen in nostram sententiam veniat. Fit autem ita, ut cum id maxime agimus, minime agere videamur. Quod in commendatitiis Ciceronis epistolis deprehendi facillime potest; atque hæc duo sunt exordiorum genera. Neque ignoro me multa præteriisse; omnia enim comple-

cti supervacaneum esset: & prudentem esse eum, qui scribit, necesse est. Praeceptis praeterea nostris aditum ingeniis patefacimus, non res terminamus. Si quid tamen addendum videbitur, quum de singulis epistolarum generibus agemus, latius explicabimus. Ac de virtutibus quidem exordii satis, nunc pauca de vitiis attingemus.

De Vitiis Exordiorum.

CAPUT VIII.

Vitiorum autem alia tam epistolis, quam orationibus, & omnibus pene scriptorum generibus communia sunt: alia propria epistolarum. Communia sunt, quae Cicero, & Quintilianus tradunt. Vitiosum enim exordium, ut ambo scribunt, est, quod ad plures caussas accommodari potest: quod ab illis vulgare appellatur. Quale est eorum, qui tenuitatem ingenii sui semper excusant: quod Quintilianus scribit aliquando non oratoribus evitatum fuisse; id meo judicio adolescentium est proprium, vel eorum, qui non satis cogniti sunt, & tum primum ad dicendum, scribendumve accedunt. Vitiosum item exordium est, quod non est cum ipsa re, de qua agimus, conjunctum, sed affectatum, & aliun-

aliunde accersitum de industria videtur: quod Quintilianus translatum appellat, qualia sunt meo judicio Sallustii procemia in Catilinarium, & Jugurthinum bellum. Nonnulli enim non quæ ad rem maxime faciunt, sed quæ ipsi optime sciunt, ea potissimum scribunt. Vitiosum item exordium est, quod nimis longum est pro subjecta materia. Quanquam autem terminus exordio præscribi non potest (alia enim aliis longiora debent esse) videndum tamen est in epistola præsertim, ne longius exordium sit, ne epistola quasi monstrosum corpus, caput ceteris membris majus habeat, & tota pene exordium sit. Est item vitiosum exordium, quod nimis apparatum, verbisque exquisitioribus, atque obscurioribus compositum est, quod Lectori, atque auditori tum suspicionem, tum tædium affert: suspicionem quidem, quia se dolo peti, & circumveniri putat, quum nimis compositam, & quasi phaleratam orationem videt: tædium vero, quum non sine difficultate intelligit, quæ legit. In quod vitium plerique nostris temporibus incidunt, qui tum se optime, atque elegantissime loqui putant, quum obscurissimis, atque ab usu remotissimis, aut longissime translatis verbis utuntur. Atque hoc vitium si quibus vitandum fuit unquam, nobis præcipue

pue vitandum eſt, cum quia non ſemper cum doctiſſimis agimus, tum quia in leviſſimo ſcriptorum genere, hoc eſt, epiſtola, plerumque verſamur. Nam quum ſcripta omnia dilucida, ac facilia eſſe debeant, quippe quæ propterea eduntur, ut legantur, atque intelligantur, neque ſemper a doctiſſimis legi poſſunt, & hoc epiſtolæ maxime proprium eſſe debet, ut facilis, ut dilucida, ut perſpicua ſit: quæ, ut ſupra diximus, neceſſitatis gratia inventa eſt, ut cum abſentibus de rebus communibus colloquamur, neque ſemper ad doctos ſcribitur, & reſponſum ſemper expectat, ſæpe etiam ſpacium excogitandi non habet. Ideo dixerunt nonnulli extemporalem eam, & quodammodo negligentius ſcriptam videri debere. Sed ut ad exordia revertamur, dabimus operam, ut cum univerſa epiſtola, tum vel maxime exordium ſimplex, dilucidum, & perſpicuum ſit, & animos Lectorum tribus illis modis, benevolentia, docilitate, & attentione conciliet; nam qui hæc non aſſequetur, vitioſum ſine dubitatione ſe feciſſe intelliget. Atque hæc omnibus ſcriptis communia vitia ſunt.

***

De

De salutatione, & principio Epistolarum.

CAPUT IX.

PRoprium vero vitium epistolarum est, quum vei salutationem in principio non apponimus, vel alio, quam deceat, modo apponimus. Quo loco illorum error mihi corrigendus est, qui quum ad magnos viros scribunt, illorum nomen suo praeponunt sic: *Innocentio Pontifici Maximo Lippus Brandolinus S. D.*, existimantes dignitatem aliquam inesse in illa nominis praepositione; quae profecto nulla est. Sed emanavit hic error a nonnullis religiosis viris, qui quum ad Episcopos, vel ad Pontifices scriberent, reverentiae gratia illorum nomen suo praeponebant. Quos quidem auctores in vita imitari debemus, in lingua non debemus, si veterum illorum in scribendo similes esse volumus. Est tamen hodie ita corrupta dicendi, scribendique consuetudo, atque ita ab ea, quae olim erat, immutata, ut qui suum nomen Pontificis nomini praeposuerit, superbus, atque impudens videatur. Itaque hoc uniuscujusque prudentiae, arbitrioque relinquo. Illud admonere satis est, eum, qui veterum illorum similis esse velit, nomen, & cognomen suum prae-

præponere in salutationem debere. Nam prænominibus nos quidem non utimur. Deinde illius, ad quem scribit, similiter nomen, cognomenque apponere sic: *Lippus Brandolinus Francisco Picolomineo S. P. D.* Multi etiam *Suo* addunt, e quibus est Plinius: Cicero non addit. Id quidem quoniam non magni momenti est, addamus nec ne, non magnopere laboro. Dignitatem autem ejus, ad quem scribimus, omittendam in salutationem non puto: sed nostra neque omittenda est, quum insignis est, vel quum ad pares, aut minores scribimus sic: *Franciscus Picolomineus Cardinalis Senensis Oliverio Carraphæ Cardinali Neapolitano, vel Lippo Brandolino S. P. D.*: quanquam Sacerdotes nomen familiæ novo quodam instituto non apponunt. Principium autem epistolæ nomen ejus, ad quem scribimus, nisi certis de caussis, habere non debet. Caussæ autem sunt, ut vel aliquem affectum animi exprimamus, ut: *Ego vero, Servi, vellem, ut scribis, in meo gravissimo casu affuisses*. Vel ut in re admodum gravi attentiorem habeamus auditorem, ut: *Ego, Lentule, initio rerum, atque actionum mearum*. Vel quum aliquid vehementius exprimere volumus, quod non in principio modo, sed in tota quoque epistola fit, ut: *Vrbem, mi Ruf-*

Ruffe, cole, & in ista luce vive. Seneca fere semper nomen ejus, ad quem scribit, apponit: Plinius, quod ego meminerim, nunquam: Cicero his fere, quas exposui, caussis; atque hæc de exordio in præsentia satis, nunc ad narrationem accedemus.

De Narrationum generibus.

CAPUT X.

NArratio (ut scribit Cicero) est rerum gestarum, aut perinde ut gestarum expositio: ejus alii tria, alii plura genera fecere: ego duo tantum esse puto. Unum, quod ad negocia, & ad civiles causas accommodatum est, quod activum, sive negociosum appellari potest: alterum, quod ab usu fori, negociorumque remotum, domi tantum, & in ocio exercetur: quod domesticum, sive ociosum, opinor, vocemus. Ac superius illud quidem dicendi genus, quoniam certum finem sibi propositum habet, ut efficiat, quod vult, sive laudet, sive deliberet, sive defendat, sive aliquid horum contrarium faciat, ita tractandum est, ut non quæcunque gesta sint, sed quæ ad nostram maxime caussam faciunt, exponamus. Ejus genera sunt duo: unum, quod ad totam rem, & caussam expo-

ponendam pertinet: qualis eſt narratio Clodianæ cædis apud Ciceronem pro Milone: quod genus epiſtola frequenter recipit in negociis, in laudationibus, petitionibus, commendationibus: alterum eſt, quod rem, vel cauſſam nonnunquam intercurrit, aut exempli, aut affectus movendi, aut comparationis, aut aſſeverationis, aut alia ſimili de cauſſa, quod fortuitum, ſive accidentale poſſumus appellare: qualis eſt narratio Servii Sulpitii ad Ciceronem, in ea epiſtola, *Poſteaquam mihi renunciatum eſt*, quum inquit: *quæ res mihi non mediocrem conſolationem attulit, volo tibi commemorare*. Ejus plures ſpecies facit Quintilianus: quum perſona exactius deſcribitur, ut: *M. Attilius Palicanus humili loco picens, loquax magis quam facundus*. Quum locus deſcribitur, ut: eſt in Hetruria Sena urbs & natura, & arte muniſſima. Quum tempus, ut: Veris initio, quum omnia florere incipiunt. Præterea quum alicujus belli, ſeditionis, peſtilentiæ, aut alterius rei cauſſa deſcribitur. Quo toto genere frequenter in omnibus epiſtolis utimur. Alterum illud genus narrationis, quod ocioſum, aut domeſticum appellavimus, in duo genera diſtribuitur, hiſtoricum & poëticum. Hiſtorica narratio, quia veram, atque integram rerum geſtarum cogni-

gnitionem sibi propositam habet, ita tractanda est, ut nihil falsi dicamus, nihil veri omittamus. Hac etiam in epistolis nonnunquam utimur, quum nostras, vel aliorum res gestas conscribimus: quales sunt multæ e Cilicia missæ Ciceronis epistolæ. Poëtica narratio, quia non similis est, & delectationem plerumque finem habet, non eodem semper modo tractanda est. Aliter enim Comici, aliter Tragici, item aliter Heroici, aliter Elegi narrant. Omnes tamen varietati, atque delectationi inserviunt; ea paratur festivitate sermonis, variorum, ac dissimilium affectuum concitatione, diversorum tum animorum, tum eventuum expositione, jucundo exitu rerum, ut scribit Cicero; hæc tota narratio, nisi joci gratia veniat in epistolam, alia de caussa, quod ego quidem sciam, nunquam venit.

De virtutibus Narrationis.

CAPUT XI.

OMnis autem narratio tres habeat virtutes necesse est, ut sit brevis, dilucida, verisimilis. Brevis erit, si inde narrare cœperimus, unde cognosci rem necesse est, neque ab ultimo initio repetemus, ut

ut si quis Romanæ civitatis nobilitatem explicare volens, incipiat ab adventu Æneæ in Italiam: quod in historia tolerabilius esset, quæ caussas rerum, initiaque explicet necesse est: in epistola non convenit. Breviter etiam narrabimus, si summatim res, non particulatim exponemus, quale esset illud: Cicero vesperi domum applicuit, ex equo descendit, domum ingressus est, pallium deposuit, suos salutavit, quæ omnia satis intelligentur, si domum tantum venisse Ciceronem dixerimus, nisi quid ex particularibus illis ad rem nostram, caussamque conveniat: ut si velimus inferre insidias Ciceroni a domesticis in illa salutatione paratas fuisse. Breves item erimus, si nullis transitionibus, & digressionibus utemur, ut sunt aliquando in Metamorphosi Ovidii, qui fabulam fabulæ interponit. Sed quod in eo Poëmate virtus est, in epistola, aut historia vitium esset. Rem etiam bis, aut sæpius non repetemus sic: venit Romam Augustinus: postquam venit, domum applicuit: ubi vero domum applicuit, benigne a suis exceptus est. Ita etiam consequentia narrabimus, ut ex illis antecedentia intelligamus, ut: si te Romam rediisse dixeris, discessisse quoque te facile intelligat. Denique rerum exitus longius, quam opus sit, non persequamur:

ut

ut ſi propoſitum ſit tuum ad urbem reditum narrare, proſequaris etiam quicquid in urbe poſtea feceris. Præterire autem quicquam ex re geſta, ubi rei notitia ſola petitur, non oportet. Ubi narratio ad finem aliquem laudis, deliberationis, judiciique dirigitur, non ea modo, quæ obſunt, ſed ea etiam, quæ non proſunt, omittenda ſunt. Dilucida erit narratio, ſi ordinem rerum geſtarum, temporum, locorum, perſonarumve ſervabimus: ſi nihil quod extra rem ſit, interponemus: ſi nihil obſcure, nihil contorte, nihil conciſe, aut contracte proferemus: ſi propriis, atque uſitatis tum verbis, tum ſententiis rem exponemus: ſi ambitu, ſive (ut Cicero appellat) comprehenſione verborum longiore, quam neceſſe eſt, non utemur: ſi circuitiones, & quaſi ambages omittemus: ſi non deerrabimus ab eo, quod cœperimus: denique ſi ea, quæ paulo ante tradita ſunt, brevitatis præcepta obſervabimus. Veriſimilis, ſive probabilis erit narratio, ſi omnia locis, temporibus, rebus, perſonis convenientia proferemus: ſi res geſta eſt, aut geri potuit, ita narrabimus: ſi nihil difficile, nihil incredibile, nihil fabuloſum, aut a facultate hominum, memoriave remotum, & monſtro fere ſimile proferemus: ſi rei, quam narrabimus, argumenta, ſigna,

testimonia, quatenus egere videbitur, ostendemus: si eam probabilem nostra, aut illustrium virorum fide, asseveratione, aut auctoritate faciemus. Ac de narratione quidem hactenus.

De Divisione.

CAPUT XII.

Divisio est distributio totius vel orationis, vel alterius rei in suas partes; ea narrationem statim sequi debet. Atque in judicialibus quidem caussis primum dicendum est, quid nobis conveniat cum adversariis, quid in controversia sit: deinde enumerandæ, atque exponendæ breviter partes, de quibus dicturi sumus, quæ plures, aut pauciores tribus (ut Cicero præcipit) esse non debent. In domesticis vero, & deliberativis caussis neque divisio semper adhibenda est, neque quid nobis conveniat cum adversariis exponendum, sed explicandæ tantum partes, de quibus dicturi sumus: hoc plerumque post exordium fit; narratio enim in his caussis non ita semper necessaria est. Epistola meo judicio vel nunquam, vel quam rarissime divisionem recipit; nam quum illud quasi proprium habere debeat, ut minime exco-

gi-

gitata, atque artificiosa videatur, illa partium enumeratione non indiget. Præterea unica, ut plurimum in ea tractatur materia, eaque simpliciter. Quod si pluribus de rebus eodem tempore scribendum sit, quoniam auditoris, aut lectoris memoriam non magnopere expetunt, satis est, si, re priore absoluta, aliam, & deinde aliam subtexamus. Si autem duabus, pluribusve epistolis eodem tempore respondere velimus, poterimus uti divisione, sive propositione hoc modo: Binas abs te accepi literas, alteras Kalendis, alteras Nonis datas: quibus, ut velle videris, ego suo ordine respondebo. Illi quoque, qui aliquid per epistolas docent, præsertim quum quæstionibus, interrogationibusque respondent, divisione utuntur hoc modo: Petis a me, ut tibi quæstiones tres per epistolam declarem; quibus breviter explicatis, subjungemus in hanc sententiam pauca: faciam, ut potero, breviter, & eo ordine, quo requiris; quo quidem modo Hieronymus sæpissime utitur. Ac de divisione satis; nunc ad reliquas partes transeamus.

***

De Confirmatione, & Confutatione.

CAPUT XIII.

DIvisioni proxima est cònfirmatio, & confutatio, quæ partes, quoniam & difficillimas tractationes habent, & frequenter in epistolas veniunt, accuratius explicandæ sunt. Nam sive docere, sive monere velimus, probemus, quæ dicimus, necesse est, refutemusque contraria. Sed quum aliud sit epistolas domi scribere, aliud in foro caussas agere: aliaque sit epistolæ, alia sit orationis ratio; non est utraque eodem modo tractanda. Nos itaque, omissis his, quæ fori, & judiciorum propria sunt, ea, quæ venire in usum scribentium solent, tantum persequemur. Quoniam autem ex quibus locis confirmatio sumitur, ex iisdem sumitur confutatio, neque nostra satis confirmare possumus, nisi aliena refellamus, de utraque mihi primo conjuncte, deinde etiam separatim dicendum esse existimavi. Est igitur confirmatio nostrarum rerum artificiosa comprobatio, sive (ut Cicero definit) nostrorum argumentorum expositio cum asseveratione. Confutatio est contrariorum locorum dissolutio. Utraque rationibus, atque argu-

gumentis tota conficitur. Argumenta autem a ceteris locis, & sedibus eruuntur. Nos prius de argumentis pauca dicemus: deinde locos, e quibus argumenta eliciuntur, quantum res postulabit, breviter attingemus.

De Argumentis.

CAPUT XIV.

Argumentum est igitur (ut omnes definiunt) ratio rei dubiæ faciens fidem, vel (ut apertius dicam) est ratio, quæ incerta, & incognita per ea, quæ certiora, & notiora nobis sunt, probat. Id in duo genera omnino distribuitur, probabile, & necessarium. Probabile (ut Boëthius definit) est id, quod omnes, aut quamplurimi, & sapientes, & in ea re, de qua agitur, periti sic esse consentiunt, quale est illud: Si mater est, liberos diligit. Item, si literis operam dedit, aliquid scit. Est enim apud omnes probabile eam, quæ mater est, filios diligere, & eum, qui literis operam dederit, aliquid scire; non tamen ita necessarium est, ut aliter esse non possit. Atque hoc genus oratorum, & dialecticorum est proprium. Necessarium est id, quod etiam si apud omnes non probetur, aliter se habere

non poteſt, quale eſt illud: Quum terra inter lunam, & ſolem poſita fuerit, luna deficiet: item, quum luna ſoli, ac terræ ſe interpoſuerit, ſol deficiet; lunam enim terræ interpoſitione, ſolem vero interpoſitione lunæ deficere, tametſi non omnibus probabile videatur, ita tamen neceſſe eſt, & ut aliter ſe habere non poſſit. Atque hoc genus Philoſophorum, Mathematicorumque proprium eſt. Utrumque autem hoc genus, ſi inter ſe conjungatur, parit ex ſeſe genus tertium, quod probabile, & neceſſarium nuncupatur, quale eſt: Si dies eſt, lux eſt: item, ſi currit, movetur. Utrumque enim & apud omnes probatur, & ſic eſſe neceſſarium eſt; quod quidem genus, ut eſt ex genere utroque compoſitum, ita etiam omnibus, quas memoravi, diſciplinis convenit, & commune eſt. Ac de argumentorum quidem generibus ſatis; nunc de eorum formis pauca dicamus.

De Formis argumentorum.

CAPUT XV.

Argumentorum formæ duæ præcipue ſunt, inductio, quæ a Græcis ἐπαγωγὴ, & ratiocinatio, quæ συλλογισμὸς ab illis appellatur, a quibus aliæ duæ ducunt originem

nem: exemplum, quod Græce παράδειγμα dicitur: & ἐνθύμημα, quod Quintilianus commentum, sive commentationem interpretatur, quibus omnibus non oratio modo, verum etiam epistola, & omne scripti genus frequentissime utitur. Non inconveniens mihi videtur, ut de his singillatim, quam brevissime possimus, præcipiamus, ab inductione potissimum incipientes.

De Inductione, & Exemplo.

CAPUT XVI.

INductio igitur est oratio, quæ per similitudines particulares, non dubias, rei dubiæ, sive illa particularis, sive universalis sit, assensionem elicit. Eam plerumque Cicero per interrogationes facit, ut plurimis, de quibus nulla dubitatio esse possit, similibus collectis rebus, hisque omnibus nobis per interrogationem concessis, de re, quam volumus, demum interrogemus, ut quum ille similitudine victus negare non possit; vel tacite, quod assensionis genus est; vel aperte, quod volumus, fateri compellatur. Ea utemur hoc modo: sit aliquis, quem ad literarum studia compellere cupiamus, eum nos per inductionem ita compellemus. Si civis tuus plus opum habeat,

quam tu, tuas ne, an illius opes malis? Illius profecto, respondebit: quid, si civis tuus plus potentiæ, aut auctoritatis, quam tu in civitate habeat, tuamne, an illius, cedo, potentiam, atque auctoritatem malis? illius vero dicet; tunc nos inferemus: at si quis civis tuus plus doctrinæ, atque eloquentiæ habeat, quam tu habes, tuamne, an illius malis? illius profecto malle se cogetur respondere, aut certe convictus tacebit, tunc nos, sive taceat, sive fateatur, quod volumus concludemus. Atque hæc inductio per interrogationes fit, & particularia concludit. Potest & universa affirmando concludere hoc modo: Si superare alios cives opibus volumus, si honoribus, si dignitatibus, si potentia, si auctoritate, si gratia cupimus eos anteire, propterea quod hæc honestissima, & præclaro cive dignissima existimamus, profecto omnibus quoque rebus, quæ honesto, & præclaro cive dignæ habentur, præstare aliis, & antecellere velle debemus. Atque hoc in genere tria esse præcepit Cicero: primum, ut res illæ, quas per similitudinem inducimus, ita certæ, atque indubitatæ sint, ut eas omnino concedi nobis necesse sit: deinde, ut id, cujus caussa fiet inductio, ita simile sit his rebus, quæ ante allatæ, concessæque sunt, ut refugi, aut negari simili-

tu-

tudo non possit: postremo, ut similitudines tales inductæ sint, ne intelligi possit, quo spectent, aut quem ad exitum perventuræ sint; nam qui videt ex primis interrogationibus, si assenserit, sibi postea confirmandum esse quod nolit, aut non respondendo, aut male respondendo longius procedere interrogationes non sinet, atque hoc postremum in ea inductione, quæ per asseverationem fit, non ita servari necesse est. Potest autem inductio falsum etiam aliquando concludere hoc modo: Qui scit canere, cantor est: luctari, luctator est: Qui scit literas, literatus est: ita etiam, qui scit mala, malus est: quæ quidem falsa conclusio est; virtutes enim scire sine contrariorum, hoc est vitiorum scientia non possumus; quo quidem modo si quis contra nos argumentetur, facile confutari, ac refelli poterit. Ex inductione autem exemplum nascitur, quod ex inductione particulari particularem conclusionem facit hoc modo: Ut Græci Homerum summopere venerantur, ita nos Virgilium summopere venerari debemus. Ac de inductione quidem, & exemplo satis diximus; nunc ad ratiocinationem transeamus.

De

De Syllogismo, sive Ratiocinatione, & Enthymemate.

CAPUT XVII.

Syllogismus, qui ratiocinatio interpretari potest (ut Cicero definit) est oratio ex ipsa re probabile aliquid eliciens, quod expositum, & per se cognitum sua se vi, ac ratione confirmet. Boëthius Syllogismum definit: Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis, & concessis, per ea, quæ posita, & concessa sunt, necesse est aliud evenire. Quæ definitio tametsi verbis a Ciceronis definitione discrepet, eodem tamen, si recte consideretur, tendit. Quod enim ait Boëthius, quibusdam positis, & concessis, Cicero ait, expositum, & per se cognitum. Tum quod ille ait, necesse est aliud evenire per ea, quæ posita, & concessa sunt, hic ait, ex ipsa re probabile aliquid eliciens; & ut ostenderet fieri per ea, quæ posita, & concessa sunt, neque aliunde trahi quod probatur, subjunxit, se sua vi, ac ratione confirmet. Constat autem Syllogismus tribus ad minimum partibus, propositione, quam Dialectici majorem appellant: assumptione, quam illi minorem vocant, & complexione, quæ ab il-

illis consequentia dicitur: ejus tale exemplum est, ut si probare velis hominem esse substantiam, sic probes: Omnis homo est animal, omne animal est substantia, ergo omnis homo est substantia. Hic species habet plures, sed quoniam his orator nunquam, aut rarissime utitur, explicandi eas in præsentia tempus non videtur. Oratorius autem Syllogismus, quem Cicero ratiocinationem appellat, quinque ad summum partibus efficitur, propositione, probatione (quæ vel una, vel pluribus rationibus effici potest) assumptione, alia item probatione (quæ pluribus etiam rationibus, atque argumentis exornari, atque amplificari potest) & complexione, quam eandem conclusionem licet appellare. Ea tractatur hoc modo: ut si velim ostendere civitatem melius ab uno, quam a multis gubernari, sic ostendam: Quæ ad publicum commodum gubernanda sunt, ea melius ab uno, quam a pluribus gubernantur. Hæc est propositio, quæ probatur hoc modo: Multi enim & inter se sæpe dissentiunt, & omnia ad sese rapiunt; unus belli dux exercitui præponitur; unus rector navim moderatur: denique apes ipsæ unum, qui ceteris præsit, regem creant. Sequitur assumptio, sive minor propositio: Quid autem est, quod multorum commodum ita respiciat,

ita

ita ſibi propoſitum habeat, ut civitas, quæ ad omnium eſt ſalutem, & commodum inſtituta? Sequitur quoque hujus aſſumptionis probatio: Nam quid aliud agunt, qui univerſos cingunt, ac ſepiunt, niſi ut omnes, qui intra ſunt, tueantur? Quid aliud templa, fora, theatra, ceteraque urbis tum publica, tum privata ædificia, niſi ut omnibus ſerviant, omnibus uſui, atque ornamento ſint? Leges porro, jura, magiſtratuſque qua de cauſſa inſtituti ſunt, niſi ut quæ ſua ſunt, tuto poſſidere unicuique liceat? Poſtremo tot artes, tot ſtudia, tot diſciplinæ quid ſibi volunt aliud, niſi ut omnes in terris commode vivere, atque habitare poſſint? Sequitur complexio, quæ ſi breve, ſi argumentum ſimplex, poteſt eſſe hoc modo: Quæ quum ita ſint, longe melius ab uno, quam a pluribus civitas gubernatur. Si vero longior ratiocinatio fuerit, complexio brevem epilogum habeat neceſſe eſt, hoc modo: Quod ſi omnia, quæ publicum commodum ſpectant, melius ab uno, quam a pluribus gubernantur; nihil autem eſt, quod æque ſalutem omnium, commodumque reſpiciat, atque ipſa reſpicit civitas: eam profecto ab uno, quam a pluribus ſatius eſt gubernari. Poteſt ratiocinatio carere vel utraque probatione, vel altera, quum id, quod dicimus, ita per ſe

pa-

patet, ut probatione non egeat hoc modo: Si quo die virgo Romæ vitiata eſt, ego eo die in Sicilia fui, profecto transferri in me hoc crimen non poteſt: hæc propoſitio ita per ſe manifeſta eſt, ut probatione non egeat. Sequitur aſſumptio; Fui autem in Sicilia: hoc quia inter omnes non conſtat, probetur neceſſe eſt. Quod autem dixi de altera probatione, de altera quoque intelligi volo. Poteſt enim incidere cauſſa, in qua aſſumptionis probatio non ſit neceſſaria, ut ſi dicam: Cœcus amore mulierum capi non poteſt; amor enim formæ non niſi a re viſa proficiſcitur: ego autem, ut videtis, cœcus ſum; atque hæc aſſumptio probatione non eget. Poteſt & tribus tantum partibus conſtare ſine ulla probatione hoc modo: Si lux eſt, dies eſt: lux autem eſt; igitur dies eſt. Poteſt & duabus, quum propoſitio tacetur hoc modo: lux eſt, igitur dies eſt. Atque hæc a Græcis appellatur enthymema; id (ut diximus) Quintilianus commentum, ſive commentationem appellat. Atque hæc præcipue argumenta ſunt oratori neceſſaria. Et prioribus quidem illis Socrates, & Socratici omnes: poſterioribus vero his Ariſtoteles, & Theophraſtus, & Peripatetici omnes maxime uſi ſunt. Sunt & aliæ argumentorum formæ quamplurimæ; ſed quoniam ad noſtram

ſtram inſtitutionem non pertinent, hoc loco exponendæ non ſunt. Hæc quoque, quæ attigi, multi fortaſſe reprehendent, & ad ſcribendi rationem minus neceſſaria judicabunt: ſed ſi diligenter adverterint apud unum Ciceronem (ut Senecam, Hieronymum, & alios omittamus) hæc omnia frequenter invenient. Sed de argumentis hactenus; ſi quis plura deſiderabit, Ciceronem, & Boëthium legat; nunc de locis, a quibus argumenta ducuntur, diſſeramus.

De Locis perſonarum.

CAPUT XVIII.

Locus eſt quaſi argumenti ſedes, ex qua ipſum argumentum ducitur. Diſtribuuntur autem loci duas in partes: in perſonas, & res. Perſonis hæc fere attributa eſſe ſcribit Cicero, nomen, naturam, victum, fortunam, habitum, affectionem, ſtudia, conſilia, facta, caſus, orationes. Nomen eſt uniuſcujuſque proprium vocabulum. Ducitur autem ab eo argumentum, ſi quempiam aut laudemus, aut vituperemus, dicamuſque nomen eſſe perſonæ vel accommodatum, vel contrarium. Naturam vel omnibus communem, vel propriam uniuſcujuſque definire difficile eſt.

In

In ea confideratur genus, virile, an muliebre fit; alia enim a viris, alia a mulieribus argumenta ducuntur; nam in viro facilius furtum, in muliere facilius veneficium creditur. Confideratur item natio, Italus, Gallus, an Hifpanus fit: patria, Romanus, Florentinus, an Venetus; nam & nationum, & civitatum fingularum proprii mores, opiniones, confuetudines, & inftituta funt, a quibus argumenta ducuntur. Confideratur prætereà cognatio, claris, an obfcuris majoribus ortus fit, a quibus fæpe argumenta ducuntur: ut fecit Salluftius in Ciceronem, atque in eum Cicero. Item ætas; alia enim de puero, alia de adolefcente, aut de fene ducuntur. Item commoda, & incommoda animo, vel corpori a natura data, ut acutus, an hebes, memor, an obliviofus fit, longus, formofus, an contra. In victu, five educatione confideratur quomodo educatus fit, quos præceptores, aut focios vitæ habuerit, quibufcum habeat confuetudinem, quo ftudio, aut artificio teneatur, quomodo rem familiarem adminiftret. In fortuna confideratur dives, an pauper fit: fervus, an liber: privatus, an cum poteftate: fœlix, clarus, an contra; quales liberos habeat. Quod fi de mortuo loquemur, genus etiam mortis in argumentum ducemus. In habitu

tu corporis confiderabimus, fi quid commodi ftudio, & arte confecutus fit, quo vel formofior, vel agilior fit effectus. In habitu animi, qua virtute, qua doctrina præditus fit. In affectione quæritur lætitia, triftitia, metus, moleftia, omnis denique animi mutatio fubita. In ftudio, poëfi, philofophiæ, picturæ, an muficæ deditus fit. In confilio quæretur, quid cogitet, quid deliberet; quanquam hoc Quintilianus ad res magis putat, quam ad perfonas pertinere. Facta, cafus, & orationes ex tribus temporibus confiderantur; nam non modo quid quifque fecerit, quid dixerit, quid ei acciderit: fed quid agat, quidve acturus effe videatur, confiderabimus. Eadem de dictis, & cafibus ratio erit. Atque hæc fere perfonis attributa funt.

De Locis rerum.

CAPUT XIX.

A Rebus, five negociis argumenta multis modis ducuntur. Cicero ea quatuor in partes diftribuit; dicit enim, partim effe continentia cum ipfo negocio, partim in geftione negocii confiderari, partim effe conjuncta negocio, partim geftum negocium fequi. Quintilianus argumenta, quæ a re-

a rebus ducuntur, quinque ex partibus duci affirmat; aut enim qua de caussa, aut quo loco, aut quo tempore, aut quo modo, aut per quæ unumquodque fiat, considerandum esse dicit. Quæ divisio tametsi a Ciceronis divisione diversa esse videatur, eodem tamen tendit. Nam quæ Cicero cum ipso negocio continentia vocat, Quintilianus caussas rerum appellat: quæ Cicero, vel in gestione negocii, vel adjuncta, vel consequentia tanquam genera considerat, ea Quintilianus non generatim, sed per suas species singillatim exequitur. Nos quoniam non oratorem instituimus, ut illi faciebant, sed scribendi rationem tradimus, locos tantum illos attingemus, quos ad eam rem esse maxime necessarios existimabimus: ne vel adolescentium mentes his, quæ minime in usu sunt, caussis judicialibus implicemus, vel Ciceronem, vel Quintilianum ad verbum scribere, non aliquid de integro condere videamur.

De Argumentis a caussis rerum.

CAPUT XX.

DUcuntur igitur argumenta in primis a caussis rerum vel actarum, vel agendarum, quum ea, quæ egimus, aut acturi

ſumus, nos aliqua de cauſſa vel feciſſe, vel facturos dicimus; quam materiam Quintilianus ab aliis ὕλην, ab aliis δύναμιν ſcribit appellari. Cauſſæ autem rerum conſiderantur vel circa bonorum adeptiones, incrementum, conſervationem, uſum: vel circa malorum evitationem, imminutionem, converſionem. Quicquid enim facimus aut boni appetendi, aut mali fugiendi gratia facimus. Hinc naſcitur uberrima argumentorum materia, ſive in deliberando, quum oſtendimus quæ bona conſequentur, ſi id fiat, quod volumus; contra, quæ mala, ſi non fiat; ſive in judiciis, quum oſtendimus eum, qui accuſatur, ex ea re magna vel commodã acquiſiviſſe, vel fugiſſe incommoda: ut ſi probemus Ajacem ab Ulyſſe occiſum eſſe, oſtendemus Ulyſſem inimicitias, injurias, interitumque, qui ſibi immineret, evitaſſe. Habent hæ quoque cauſſæ in epiſtolis magnam argumentorum materiam, ſive in commendando, quum ex ea commendatione aliquod commodum eventurum dicimus vel ei ad quem ſcribimus, vel nobis ipſis, vel ei quem commendamus: ſive in petendo, quum ex ea re vel nobis, vel amicis, vel his, ad quos ſcribimus, utilitatem, dignitatem, laudem futuram declaramus: ſive in conſolando, quum ex ea morte & illos,

qui

qui decesserint, magnam felicitatem habituros, magnis miseriis liberatos; & eos, ad quos scribimus, vel aliquod commodum esse adeptos, vel incommodo aliquo levatos esse ostendimus. Sunt autem & bonorum, & malorum falsæ quoque opiniones, quæ multorum, & magnorum errorum caussas hominibus præbent. Multa enim velut bona appetuntur, vel ut mala fugiuntur: quæ opinione, non re vel bona, vel mala sunt. Atque hinc existunt pessimæ animi perturbationes, odium, ira, invidia, crudelitas, avaritia, libido, ambitio, spes, metus, & quæ sunt generis ejusdem: quæ materiam argumentandi in omnibus caussis amplissimam præbent, quum ostendimus hominem adductum odio, amore, aut alia perturbatione, id de quo quæritur, facinus admisisse. Atque hic locus in consolationibus latissime patet, maximamque vim habet. Possumus enim facile ostendere vel bona, vel certe non mala, quæ illis, ad quos scribitur, mala videantur: illos vero dolore, vel amore impeditos, quæ recta sint, minus cernere. Quem locum exequitur late Servius Sulpitius, quum Ciceronem de morte filiæ consolatur; & de caussis quidem rerum hactenus.

De Argumentis a loco, & tempore.

CAPUT XXI.

Ducuntur argumenta a loco, in quo consideratur ipsius loci natura, maritimus, an mediterraneus sit, montanus, an planus: quantitas, ut longinquus, an propinquus, magnus, an parvus: qualitas, ut desertus, an frequens, consitus, an incultus; præterea sacer, an prophanus, publicus, an privatus, alienus, an ejus, de quo agitur: quæ quidem omnia tametsi fori, & judiciorum propria magis sunt, veniunt tamen etiam in familiares epistolas, & in alia scriptorum genera, quum laudamus, vel vituperamus aliquem a loco, unde oriundus sit, in quo versatus sit; quum suademus, vel dissuademus aliquid propter loci opportunitatem: quum consolamur, & eum, qui discesserit, in patria, in suis ædibus, inter domesticos, & familiares discessisse, aut honestissimo loco sepultum esse dicimus; quem quidem locum pulcherrime exequitur Servius Sulpitius in ea epistola, in qua mortem Marcelli describit. Ducuntur argumenta a tempore, quod vel est generale: ut quum dicimus: olim sub Alexandro: quum Reges Romæ regnarent: quum

quum Roma a Consulibus regeretur; vel speciale quid in annos, menses, dies, horasque distinguitur. Huic Cicero occasionem adjungit, quam temporis speciem facit; omnis enim occasio tempus est, sed non contra. Ejus facit tria tempora, publicum, ut bellum, dies festi: commune, ut messis, vindemia: singulare, ut convivium, nuptiæ. In omni vero tempore consideratur, quid gestum sit, quid geri potuerit, quid geri posse videatur; atque hoc etiam in epistolam venit. Nihil enim in negociis æque, ac temporis opportunitas consideratur, sive narremus gesta, sive gerenda decernamus. Hanc quoque occasionem in Marcelli morte non omisit Servius Sulpitius; ait enim, post cœnæ tempus occisum esse Marcellum, & mane sibi hora decima nunciatum. Valet etiam occasio temporis plurimum tum in deliberando, tum in consolando: quam quidem partem latissime tractat idem Servius Sulpitius, quum Ciceronem de morte filiæ consolatur.

De Argumentis ex modo, & facultatibus.

CAPUT XXII.

DUcuntur etiam argumenta ex modo, quum exponitur quo modo, quo animo aliquid a nobis, vel ab aliis factum sit:

Ejus partes sunt prudentia, & ira. Prudenter aliquid factum existimatur, quum vi, dolo, consilio, persuasione, mente denique tali factum est. Imprudenter contra factum dicitur id, quod per inscitiam, casum, necessitatem: quod præterea per affectionem animi, iram, odium, amorem est factum. Veniet autem hic locus in epistolas, quum nostrum, vel alterius factum accusabimus, vel excusabimus, & veniam petemus. Hoc Cicero sæpe facit, quum accusat Pompejum, quod ita bellum administraverit, & quum se ipsum excusat quod affuerit. Facultates etiam epistolis præstant argumenta in petitionibus, commendationibusque præsertim, quum ostendimus habere eum, ad quem scribimus, magnam ejus rei, quam petimus, præstandæ facultatem. Conferunt etiam plurimum in deliberando, quum exponimus, quæ necessaria sint ad eam rem, quam scribimus, faciendam. Hunc locum tractavit Cicero, quum de ratione traducendæ vitæ cum Servio Sulpitio consultaret. Conferunt etiam facultates ad reprehendendum, vel excusandum: cujus rei exemplum est apud Ciceronem ad eundem Servium, quum Pompejum accusaret, quod neque militum genere, aut robore, neque consilio satis valeret.

De adjunctis negocio.

CAPUT XXIII.

SEquuntur ea, quæ Cicero adjuncta negocio appellat: qui loci ſunt plurimi, quos ipſe breviſſime perſtringit; Quintilianus latiſſime tractat: nos eos tantum, qui noſtræ inſtitutioni convenient, explicabimus, ceteros omittemus. Ducuntur igitur a definitione nonnunquam argumenta, quum vocabulum, aut rem, de qua loquimur, definimus, ut per eandem definitionem quod volumus inferamus; id fit vel interrogando, vel affirmando. Interrogando ſic: Nonne virtus viri propria eſt, & a viro appellata? vel ſic: Quid eſt amicitia? nihil aliud eſt, quam mutua benevolentia. Affirmando ſic: Quod ſi amicitia nihil aliud eſt quam mutua benevolentia, nos mutuo amemus neceſſe eſt, ſi amici volumus appellari. Ducuntur argumenta a genere, ſpecie, differentibus, propriis; ſed quoniam hæc in epiſtolam, vel aliud ſcripti genus, vel nunquam, vel rariſſime, & diſputandi tantum gratia veniunt, omitto. Quod ſi quis ea, de quibus diſputaturus eſt, ſciet: hæc quoque, ſine quibus ſciri illa non poſſunt, teneat neceſſe eſt.

Ducuntur etiam a divisione argumenta, quum totum in suas partes dividimus, vel genus in suas species distribuimus. Quæ a Quintiliano partitio nominatur. Hinc multis modis argumenta ducuntur, quum omnia divisionis membra a nobis ad eandem conclusionem deducuntur hoc modo: Quum virtus viros bonos efficiat, si ametur, ab aliis expetenda est, ut aliis placere possimus; si non ametur, expetenda est, ut nobis ipsis placeamus. Item divisione utimur, quum duabus, aut pluribus propositis partibus quamcumque nobis concedat adversarius, dicimus hoc modo: Quum ante hac ad me non scripseris, aut superbiæ, aut negligentiæ te accusem necesse est, tu vide utra te minus deceat. Item quum omnia divisionis membra confutamus, ut ad id, quod volumus, deveniamus hoc modo: Falso te excusas, quod ad me sæpe scripseris, nam si scripsisses, aut tabellariis, aut amicis, aut peregrinis viatoribus literas dedisses: tabellarii se nullas accepisse dicunt; amici isthinc nulli huc veniunt; peregrini isthac iter facere non possunt. Quod si his omnibus nullas dedisti, nullas profecto dedisti. Item quum pluribus enumeratis partibus, ceterisque confutatis, extremam relinqui veram necesse est hoc modo: Aut voluisti ad me scribere, aut per mul-

multas occupationes, vel ægritudinem non potuisti, aut copiam tabellariorum non habuisti, aut certe negligens fuisti: noluisse te, quum me magnopere ames, non puto: occupationes habes aut nullas, aut paucissimas: ægritudine nulla laborasti; nam omnes, qui insthinc profecti sunt, te valentem viderunt: Tabellarii quotidie ultro, citroque commeant; quod si harum caussarum nullam afferre potes, negligens fueris necesse est. Atque hæc a Quintiliano remotio appellatur. Quum autem rerum omnium ratio ab initiis per incrementa ad summam, sive finem procedat, probantur ultima ab initiis, vel incrementis hoc modo: Quum adolescentiam tuam continentem, & studiosam videam, non possum de reliqua ætate non optime sperare. Probantur contra ab ultimis prima hoc modo: Quum tu omnes gratis doceas, ostendis te non lucri caussa literas didicisse. Probantur res a similibus, ut si Homerus legendus est, Virgilium quoque legi par erit. A dissimilibus, ut si Cicero imitandus est, non Plautum, aut Nævium imitari convenit. A contrariis, ut si virtus præmium meretur, vitium certe supplicium merebitur. A repugnantibus, ut si amicus est, amicum odisse non potest. A consequentibus tum natura, tum tempore: na-

tu-

tura, ut si fides virtus est, nemo est profecto fallendus; a tempore sic: Si caloris initium æstas attulit, ejus finem hyems afferat necesse est: quæ agi, & converti possunt hoc modo: Si nemo est fallendus, fidem virtutem esse par est. Item: Si finem caloris hyems attulit, ejus initium æstas afferet. Quædam ex rebus mutuam confirmationem præstantibus, sive (ut Cicero appellat) sub eandem rationem venientibus, argumenta nascuntur, ut si licet poëticen discere, docere cur non liceat? Discere enim quisquam, nisi doceatur, non potest. Eodem modo vendere, & emere, locare, & conducere, & cetera, quæ se mutuo consequuntur. Similia his sunt, quæ a caussis appellat Quintilianus, quum ea, quæ facta sunt, ab his, quibus efficiuntur, caussis probantur; vel contra, quum efficientes caussæ ex rebus effectis ostenduntur. Quæ quidem aliquando ex utraque parte necessaria sunt, aliquando ex altera tantum, aliquando vero ex neutra. Ex utraque sic: Si sol exortus est, dies est: item si dies est, sol utique exortus est. Ex altera sic: Fuit apud ignem, ergo est calidus; hæc pars necessaria est; sed non: Calidus est, fuit igitur apud ignem; potuit enim vel sole, vel alia caussa fieri calidus. Ex neutra parte necessaria sic: Exercuit corpus, ergo

robustus est: vel contra, robustus est, ergo corpus exercuit; horum neutrum necessarium est; non enim quisquis corpus exercuit, robustus est: neque quisquis robustus est, corpus exercuit; potest enim & ille exercitatione robustus non fieri, & hic robustus sine exercitatione esse. Quo loco illud videndum est, ne caussæ nimis remotæ, & ex alto repetitæ afferantur, quod Poëtæ nonnunquam faciunt, ut: Utinam ne nemore Pelio securibus cæsæ cecidissent abiegnæ ad terram trabes; rem deinde sequitur: nam nunquam hera mea errans mea domo efferret pedem Medæa animo ægra, amore sævo saucia. Optime autem (ut mihi videtur) probatur res ex comparatione, quum majora minoribus, minora majoribus, paria paribus comparantur. Quibus quidem argumentis non epistolæ tantum, & scripta omnia, sed sermo etiam communis refertus est. Probantur autem majora a minoribus sic: Qui alienos, atque ignotos juvas, tuos tibi conjunctissimos non juvabis? Item, qui movetur meretricis morte ob pravam consuetudinem, quid mihi faciat patri? Minor ex majoribus sic: Si patris mortem moderate tulisti, quo tandem animo ferendam amici mortem putas? Item, si totius Reipublicæ interitum ferre potuisti, in unius mulierculæ animula quid tan-

tantopere commoveris ? Qui locus pulcherrimus est apud Servium Sulpitium in consolatione Ciceronis. Paria ex paribus sic: Quæ pœna interfectori patris constituta est, eadem matris interfectori constituta esse debet. Item, si magna prœmia musicis debentur, poëtis cur non eadem debeantur ? Atque hæ comparationes amplissimam in omni genere argumentandi materiam præbent: quas, quia natura unicuique facile subministrat, pluribus eas verbis non explicabo. Ducuntur postremo etiam a fictione (ut Quintilianus appellat) argumenta, quum fingimus, id est, proponimus aliquid, quod si re ipsa verum esset, caussam nostram vehementer adjuvaret, ut:Si arbores, & saxa vocem haberent, tam indignum facinus detestarentur. Quem quidem ego locum non magni facerem, nisi eo sæpissime Cicero uteretur, neque in orationibus modo, verum etiam in epistolis, ut ad Appium Pulchrum: Si tibi Respublica narrare posset, quomodo se haberet, non melius, quam ex ipso Phania intelligeres. Cujus quidem loci quoniam totidem possunt esse species fictæ, quot veræ, ideo feci ejus cum Adjunctis negocio mentionem.

De his, quæ negocium consequuntur.

CAPUT XXIV.

Restant ea, quæ gestum negocium consequuntur: quæ pars ex his, quæ negocio attributa sunt, quarta est, & a Cicerone consecutio appellatur: in hac primum considerandum est id, quod factum est quo nomine appellari conveniat, ut quum amicum per epistolam excusabimus, qui alium dicatur offendisse, ostendamus non illam esse offensam alterius, sed sui defensionem appellandam. Ut Cicero fecit ad Metellum, quum inquit: Ego non fratrem tuum oppugnavi, sed fratri tuo repugnavi. Deinde ejus facti qui fuerint autores, qui comprobatores, qui imitatores, qui contra, id oderint, fugiant, detestentur, ut quum dicimus facultatem dicendi a sapientissimis, atque antiquissimis rerum publicarum conditoribus fuisse inventam, a summis postea viris comprobatam, ab optimo quoque semper expetitam: quod non nisi ignari, & flagitiosi detestentur. Videndum postea, quid de ea re sit lege cautum, quid judicatum, quid consuetudine frequentatum, quid arte, aut scientia præceptum: item vulgo ne, & frequenter ea res fiat, an insolenter & ra-

& raro. Postremò quæ rem honestas, utilitas, laus, gloria consequatur: quæ omnia facile possumus in proximo exemplo considerare. Sunt autem pleraque a Servio Sulpitio in Ciceronis consolatione tractata, quum ait: Tot oppida, tot claros viros interiisse, & quotidie interire: item fortunatos esse, qui liberos vel non genuerint eo tempore, vel amiserint: postremo, quum ostendit, quæ ignominia Ciceronem ex eo luctu; quæ hominum opinio; quod denique periculum consequatur. Atque hæc de locis, a quibus argumenta ducuntur, breviter dixisse sufficiat. Si quis plura desideret, a Cicerone, & Quintiliano accipiat. Nos ea tantum prosequimur, quæ ad scribendi rationem necessaria esse arbitramur: nunc quomodo argumentis uti conveniat, paucis absolvemus.

De usu Argumentorum.

CAPUT XXV.

Omnis igitur argumentatio, quæ ex his locis nascitur, quæque ab oratore sumitur, aut ita necessaria est, ut probandum sit; aut ita probabilis, ut nulla ei necessitas adjungatur. Nam quæ tantum necessaria est, & assensione non indiget, ea ma-

mathematicarum eſt diſciplinarum propria. Neceſſaria igitur, quæ aſſenſionem hominum habet adjunctam, tractetur aut per complexionem, aut per enumerationem, aut per ſimplicem concluſionem. Complexio eſt, quæ ex duabus partibus propoſitis, utramque vel interrogando, vel negando concludit. Interrogando ſic: Si virtus bona eſt, cur fugis? Si mala, cur laudas? Negando: Si virtus bona eſt, non eſt fugienda: Si mala, non eſt laudanda. Enumeratio, quæ multis propoſitis partibus, ceteriſque refutatis, extremam neceſſario probatam relinquit hoc modo: Hunc librum neceſſe eſt vel emptione, vel commodato, vel dono, vel hæreditate, vel furto habueris; nam ante hac non habuiſſe te illum plane fateris; ſed neque emiſti, quia pecuniam nullam habebas: neque ab amicis aut commodato, aut dono accepiſti, quoniam nemo in hac civitate te novit omnino: neque rurſus aut teſtamento, aut hæreditate cujuſquam habuiſti, quum ex tuis defunctus ſit nemo; relinquitur ergo, ut illum ex furto habeas. Simplex concluſio fit hoc modo: Si quo tempore tu ad me Romam ſcripſiſti, ego Romæ non fui, accipere tuas literas profecto non potui. Ea vero argumentatio, quæ ſolam aſſenſionem requirit, frequentiuſque in epiſtolam venit, per ſim-

ſimplicem aſſumptionem, & concluſionem, quod enthymema appellari diximus: item per inductionem, atque exemplum, frequentiſſime tractatur. Nam ratiocinatio, niſi neceſſitatem habeat, facillime refellitur. Omnis autem aſſenſio, vel a naturæ ordine, vel ab hominum opinione, vel a rerum comparatione colligitur. Naturæ ordo & ſenſus omnes, & jura naturæ comprehendit. Nam quæ ſenſu aliquo percipimus, his facillime aſſentimur, ut quæ videmus, audimus, tangimus. Item quæ naturæ conſentanea ſunt, ut Pater eſt, liberos igitur amat: & quæ ſunt generis ejuſdem. Quæ opinione hominum conſtant, ea partim legibus probantur, ut qui hominem occiderit, morti ſubjacere. Partim ſententiis hominum, ut quæ Princeps, aut Senatus decrevit, ea ſervanda eſſe. Partim conſuetudine, ut majoribus natu aſſurgendum. Partim communi quodam hominum conſenſu, ut bonis prœmia, malis pœnas poſt mortem eſſe præparatas. Quæ autem ex comparatione probantur, ea vel contrariam rationem exigunt, vel ſimilem, vel majorem, vel minorem: quarum partium omnium exempla ſuperius poſuimus. Hoc autem univerſum, quod probabile appellamus, Cicero in plures ſpecies ſubtilius dividit, quas quoniam ad hanc inſti-

ſtitutionem non pertinent, prætermiſi. Quis autem ordo in argumentis collocandis ſervandus ſit, præcipi ſatis certe non poteſt; non enim vel in omnibus orationibus, vel epiſtolis, vel ſcriptis unus, idemque ſemper eſt ſervandus. Aliæ enim cauſſæ leviſſima quæque argumenta in principio maxime deſiderant, ut conſolationes, quæ ſenſim irrepere, non ſtatim irrumpere per vim in hominum mentem debent. Aliæ a firmiſſimis argumentis incipiendæ ſunt, ut crimina, quæ minime videmur poſſe defendere. Illud tamen perpetuo tenendum eſt, ut optimis in fine argumentis utamur; nam & quæ firmiſſima ſunt ad faciendam fidem plurimum conferunt: & quæ ultimo loco ſunt dicta, memoriæ audientium magis inhærent. Leviora vero in medio commodiſſime collocantur; nam & antecedentibus, & conſequentibus vim non mediocrem addunt, & ipſa firmioribus utrinque munita, validiora, gravioraque redduntur. Illud in omni argumentatione ſervandum in primis, tenendumque eſt, ut varietati inſerviamus: ut neque iiſdem argumentorum modis ſemper utamur: quale eſt, ſi ſemper inductione, aut ratiocinatione uteremur. Neque eadem argumenta eodem ſemper modo conficiamus; quale eſt, ſi mater eſt filios

diligit: mater autem eſt; filios igitur diligit. Sed nunc a concluſione incipiamus hoc modo: Diligit ſine dubio liberos, quia mater eſt; nam diligi a matribus liberos naturæ conſentaneum eſt. Nunc ab aſſumptione hoc pacto: Quia mater eſt, diligere eam liberos credibile eſt: quod omnibus matribus eſt naturale, ac proprium. Ita denique tum argumentorum formas, tum modos, contextuſque variemus, ut ipſa varietas homines ad noſtra legenda, audiendaque alliciat. Neque in omnibus cauſſis, ſive negociis, omnes, quos ſupra memoravimus, aut quæremus, aut aſſumemus: ſed eos potiſſimum deligemus, qui & optimi, & maxime neceſſarii ad noſtram cauſſam eſſe videbuntur. Ac de confirmatione quidem ſatis diximus, nunc de confutatione diſſeramus.

De Confutatione.

CAPUT XXVI.

Confutatio eſt alienorum argumentorum, dictorumve deſtructio. Ea duplex eſt: generalis, in qua tota verſetur oratio neceſſe eſt: quæ advocatorum, ſive patronorum, & eorum, qui cauſſas defendunt, propria eſt; & ſpecialis, ſive parti-

ticularis, quæ ad ſingulas orationis, vel ſermonis partes pertinet: quæ propria eſt epiſtolarum. Utraque tamen ab iiſdem locis oritur, quibus oritur confirmatio; ſed ex contraria ratione; nam quibus locis illa ad confirmandum, iiſdem hæc ad infirmandum utitur. Sed quantum differt ab oratione epiſtola, tantum prioris confutationis ratio a poſteriore differt; illa enim adverſarium habet; hæc non habet; illa in criminibus tota verſatur; hæc in cauſſis plerunque honeſtiſſimis: illa ea tantum, quæ dicta ſunt, confutat; hæc etiam quæ dici poſſent, inveſtigat: illa objectis plerunque ex tempore reſpondet; hæc ad reſpondendum ſatis ocii habet: illa denique futurum judicium pertimeſcit; de hac nullum futurum judicium eſt: proptereaque defendendi, quam accuſandi rationem veteres difficiliorem putabant, quod accuſandi ratio ſimplex eſſet, defendendi multiplex. Nos ita omiſſa illa patronorum confutatione, de qua ſatis, abundeque a Cicerone, & Quintiliano tractatum eſt; de hac, quæ ad noſtram inſtitutionem magis pertinet, breviter diſſeramus. Hæc igitur in deliberativis cauſſis, hoc eſt in ſuadendo, & diſſuadendo tota fere poſita eſt; neque quid dictum ſit, tantum conſiderat: ſed multo magis, quid dici poſſit, explorat:

Quid autem dici possit, per eosdem, quos supra diximus, locos personarum inquirit. Personarum quidem, ut si te cohorter ad studia literarum, ostendamque te neque ætatem, neque ingenium, neque aliud quicquam, quod in personis consideretur, quo minus id facias, excusare posse. Rerum vero, si neque tempus, neque locum, neque facultates ad eam rem tibi deesse significem. Confutandi vero duplex omnino ratio est, bonorum, & malorum. Utraque & vera, & falsa esse possunt. Bonorum ratio ita tractanda erit: primum, ut ostendamus, quæ ei, ad quem scribimus, bona videntur, mala esse: id si non possumus; non esse bona, aut non magna bona esse contendamus: deinde majora, si possumus, aut similia proponamus, aliquodque his commodum adjungamus: ut si par bonum ex utraque re consequatur, hoc certe illi præferendum sit, quia facilius, quia commodius, quia propinquis, amicisque acceptius, & quæ sunt generis ejusdem. Mala contra ita tractanda sunt, primum ut bona, si possumus, esse dicamus, quæ ille mala existimet: deinde non mala, vel non tam magna, quam ille, vel vulgus opinetur: postremo majora illi, vel similia mala opponamus, quæ ille evadere non possit, factaque malorum comparatione, hæc ali-

qua

qua ex parte minuemus: ut si moriendum sit, Romæ, atque inter suos mori, satius esse dicamus. Eadem erit commodorum, & incommodorum ratio: quæ ut bona, vel mala ab hominibus expetuntur, & fugiuntur. Hæc inter se sæpe comparantur, & bona malis, & mala bonis confutantur: ut quum id, quod ille bonum appetit, fugiendum esse dicimus ratione majoris mali, quod inde consequatur: aut quum parvum malum non abhorrendum esse contendimus, quum inde bonum maximum proficiscatur. Quam quidem universam confutandi rationem apertissime, ac latissime executus est Cicero tum sæpe alibi, tum vero, quum M. Marcello reditum pluribus epistolis suaderet; ille enim omnia commoda, ac incommoda exilii cum commodis, & incommodis in patria viventis apertissime comparat, ostenditque omnibus rationibus patriam exilio præponendam. Qui locus quoniam latissime patet, & intellectu facillimus est, pluribus a me verbis non explicabitur, ne magis Ciceronis epistolas interpretari, quam tradere scribendi rationem videar. Accidunt autem epistolis nonnunquam etiam crimina, sive calumniæ vel ad nos, vel ad amicos pertinentes, quæ a nobis per epistolam vel defendendæ, vel refellendæ sint. Crimen

defendere qui volet, si factum sit, cur id fecerit, ostendat necesse est. Si caussam probabilem non habebit, crimen neget: si negare totum non poterit, partem neget; & aut non esse id factum, cujus arguatur: aut non eo modo factum esse contendat. Sin id quoque non poterit, culpam omnem in ætatem, in ignorantiam, in negligentiam, in occupationes, in socios, in alia denique omnia transferat, quæ aut levare factum, aut veniam impetrare aliquo modo possunt: quæ in epistola decent, in oratione non decent. Alia præterea crimina leviora, alia minora molliendo, excusando, minuendo facimus: quædam vero despicimus, ac pro nihilo habemus: quædam per jocum, & cavillationes irridemus: nonnulla in illum ipsum, qui objecit, retorquemus: quod lepidissime fecit Cicero, quum ad Curionem scribens ait: Equidem neminem prætermisi, quem ad te perventurum putarem, cui literas non dederim: abs te vero bis terve ad summum, & eas perbreves accepi. Quod si pergis iniquus esse in me judex, eodem ego te crimine condemnabo. Ambigua vero omnia in meliorem partem accipiuntur, ita ut quæ ei, ad quem scribimus, vel gravia, vel luctuosa, vel dura videntur, ea nos graviorum comparatione, quæ ille aut tulerit,
aut

aut nisi hoc ei accidisset, in posterum potuisset ferre; leviora, tolerabilioraque reddamus: quod optime fecit Sulpitius, qui ut Ciceronem de morte filiæ consolaretur, ei patriæ, dignitatis, honestatis, ceterarumque rerum, quæ multo ei debebant esse, quam liberi, cariores, jacturam commemorat. Sed hæc omnia facile consequemur, si quam supra commemoravi bonorum, malorumque comparationem recte adhibuerimus.

De Dissolutione argumentorum.

CAPUT XXVII.

QUoniam autem, qua ratione fierent argumenta, supra docuimus, consentaneum videtur, qua ratione dissolvantur, etiam docere: ut quæ vitia in illis esse possunt, ea & ipsi in nostris argumentis magnopere fugiamus, & in alienis cognita reprehendere facilius, & confutare possimus. Qui quidem locus tametsi est ita late a Cicerone, dilucideque tractatus, ut a nobis neque copiosior, neque dilucidior effici possit: eum tamen, ne vel ignorasse, vel neglexisse videamur, quam brevissime attingemus. Omnis igitur argumentatio dissolvitur, quum aut aliqua pars ipsius, aut to-

tota vitiosa esse ostenditur: aut contra eam alia vel firmior, vel æque firma argumentatio collocatur. Partes ejus velut minime probabiles, vel ut minime necessariæ reprehenduntur. Minime probabilis argumentatio fit, quum vel falsa proponimus: ut nemo est, qui non pecuniam, quam sapientiam malit; constat enim multos contra fecisse: vel incrediblia, ut si avarus pecuniam se contempsisse dicat. Item minus probabilis fit, quum id, quod a plerisque fit, ab omnibus fieri dicimus, ut omnes opibus, quam virtutibus magis student; vel contra, quum id, quod a paucis fit, a nemine fieri affirmamus, ut nemo est, qui virtutis adipiscendæ gratia opes, honoresque contemnat, quod etsi non omnes, quidam tamen faciunt. Minus etiam probabilis argumentatio redditur, quum id, quod proposuimus, vana, aut infirma ratione probamus. Vana ratio est, quæ vel falsa est, ut Poëtæ legendi non sunt, quia homines a religione dehortantur: vel futilis, & contemnenda, ut Philosophia fugienda est, quia macilentos homines reddit. Infirma vero ratio est, quæ caussam minus convenientem propositioni subjicit, ut utile jejunium est, nam ego hodie jejunare institui; hic quare utile jejunium sit, non probo: sed quid ego sim facturus, com-

commemoro. Item infirma est, quum idem per idem, sed aliis verbis probamus, ut magnum malum est avaritia: quia multis incommodis afficit homines pecuniæ cupiditas. Item infirma est, quum id, quod proposuimus, omni ex parte non probamus, ut expetenda est sapientia: quia sapientes castitatem amant; non enim ob hoc solum expetenda sapientia est. Minus prærerea probabilis atgumentatio redditur, quum similitudines, & comparationes ad rem, de qua agimus, minime accommodatas esse ostendimus. Id autem fit, quum ostendimus eas differre genere, specie, vi, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione. Deinde utriusque rei genus, & differentiam demonstramus, quo modo confutantur maxime inductiones, & exempla, quæ simillibus, & comparationibus maxime utuntur. Minus etiam necessaria, & propterea vitiosa argumentatio esse ostenditur, cujus complexio, vel simplex conclusio reprehendi potest. Complexio erat, quæ ex utraque parte concludebat; ea vel ex utraque parte convertitur, vel ex altera reprehenditur. Convertitur ex utraque, quale est pulcherrimum apud Gellium exemplum Evathli, qui certa mercede caussarum agendarum rationem a Protagora insigni ejus artis magistro hac con-

conditione didicerat, ut ei merces tum deberetur, quum primam in foro caussam vicisset. Magister suo tempore mercedem petit, & negantem discipulum in jus vocat. Utitur autem adversus eum argumento: Debes mihi omnino mercedem, sive vincas caussam, sive perdas; nam si vincis, debes, quia vicisti primam caussam: si perdis, debes, quia a judicibus condemnaris. Discipulus contra argumentum convertit hoc modo: nihil tibi debeo, sive vincam, sive perdam; nam si vinco, non debeo, quia a judicibus non condemnor: si perdo, rursus non debeo, quia primam caussam, ut inter nos convenerat, non vinco. Altera ex parte reprehenditur complexio sic: Etiamsi caussam perdam nihil debeo tibi, judices enim me non pecuniæ, sed ignorantiæ condemnabunt. Enumeratio autem reprehenditur, quum aliquod in ea membrum præteritum est hoc modo: quoniam habes hunc equum: eum aut emptione, aut hæreditate, aut dono habeas, aut certe furto abstuleris, necesse est: si dicamus donatum, aut ex hostibus captum, totum argumentum infirmabimus. Reprehenditur etiam, quum aliquid ex membris negatis probamus: ut in eodem exemplo poterit ostendi, equum hæreditate venisse, quod ille negaverat. Similis conclusio reprehen-

prehenditur, quum aliud sequi potest ex nostra propositione, quam quod ipsi volumus, ut si lux est, dies est; potest enim ex luna, vel ex igne lux esse, neque lux necessario diem facit. Conclusiones vero argumentorum omnium reprehendi possunt, si vel non efficiant id, quod propositum est, vel cavillationem, ambiguitatemque efficiant: non efficiunt, quod propositum est hoc modo: Si venisses domum meam, vidissem te: non vidi, ergo non venisti; conclusio hæc non necessario sequitur, nam potes venisse clam me. Per ambiguitatem concludunt argumenta hoc modo, ut in eodem exemplo versemur: Si venisses domum, vidissem te: non vidi, ergo non venisti: non autem vidi, non quia non veneris, aut clam me veneris, sed quia cœcus sim, in qua significatione tu meum argumentum non intelligebas. Per cavillationem sic: Quod non perdidisti, habes: non perdidisti caudam, ergo caudam habes. Atque his fere modis argumentorum singulæ partes dissolvi possunt. Totum vero argumentum reprehenditur, quum aperte falsum est, ut quicumque pecuniam contemnit, stultus est: Diogenes pecuniam contempsit, stultus igitur fuit. Aut quum tam nobis, quam adversariis convenit, ut qua caussa confidebam, brevis fui. Aut quum

quum levem excuſationem proferimus, ut ſi in mentem veniſſet, hoc nunquam commiſiſſem. Item quum remotas, & minus longinquas cauſſas repetimus: ut ſi Jupiter rem cum Leda non habuiſſet, Ilium nunquam everſum fuiſſet. Item quum rem quampiam vel male definimus, vel male dividimus. Definitio mala eſt, quæ per proprium genus, & proprias differentias non fit, ut ſi velim definire factioſum civem: Hic factioſus eſt, qui malus, & inutilis civis eſt, quæ definitio non magis ad factioſum, quam ad diſſolutum pertinet. Item mala definitio eſt, quæ rem definiendam non omni ex parte complectitur, ut fortitudo eſt conſtantia in adverſis, quæ definitio partem fortitudinis, non totam complectitur. Mala vero diviſio eſt, quum plura, vel pauciora, quam opus ſit, membra facimus, plura ſic: tria hominem beatum reddunt, virtus, ſcientia, & ſapientia. In hac diviſione ſapientiam adjungere neceſse non erat, nam virtus, & ſcientia ſapientiam complectuntur. Pauciora ſic: duo potiſſimum homines ad ſcelera compellunt, libido, & avaritia; hic omiſsa ſunt multa, ut ambitio, gula, gloriæ cupiditas, & alia. Reprehenditur etiam argumentum, quod vel dubia, vel inconvenientia dubiis, & inconvenientibus probat; dubia, ut

ut non occidi hunc, quia neminem unquam occidi, quum utrumque dubium sit. Inconvenientia, ut si quis suum scelus magnorum virorum exemplo tueatur. Item quum rem perspicuam pluribus verbis claram facimus, ut si Orestem accusans, occisam ab eo matrem, quod perspicuum est, coner ostendere. Item quum rem, de qua caussa, & controversia est, tanquam concessam assumimus, ut si Ulyssem accusans iniquum esse dicam, Ajacem fortissimum hominem ab ignavissimo esse occisum: quod adhuc non constat. Item quum rem turpem, & iniquam, & indignam tempore, loco, personisque commemoramus. Item quum rem auditoribus invisam proferimus, ut si apud cœlibes rem uxoriam laudem. Vel cum rem ab auditoribus, aut lectoribus factitatam detestamur, ut si apud Annibalem perfidiam, vel urbium expugnationem detestor. Item quum eadem de re diversi inconstanterque loquimur, ut si quis amico tantum benevolentiæ caussa favere se dicat, posteaque subjungat, sperare tamen se aliquod ex ea re commodum consequuturum. Illa quoque argumenta vitiosa sunt, & facile confutantur, quæ ad institutum omni ex parte accommodata non sunt, ut si plura polliciti pauciora exequamur. Quod in vitium incidunt hi, qui

qui e tribus partibus, quas in divisione proponunt; tertiam plerunque linquunt. Item si quum totum debeamus probare, partem tantum probemus, ut si quum omnes senes avaros probare velim, unum, aut alterum avarum fuisse ostendam. Item si, omissa re, quæ in judicium, aut consultationem veniet, alia proferamus, vel defendamus, ut si quis de bello gerendo dicturus pacem laudet, aut si quis ambitus accusatus se fortissimum manu semper fuisse defendat. Item si res ipsas ex vitiis vituperamus, ut si quis ex unius Poëtæ vitiis totam poëticen detestetur. Item si laudare quempiam instituerimus, & de felicitate ejus, non de virtute dicamus. Item si rem cum re ita comparaverimus, ut laudare alteram posse non putemus, nisi alteram vituperaverimus: quod plerique hac tempestate faciunt, qui laudare se hunc Pontificem posse non putant, nisi antecessores vituperent. Item, si quum de certa re dicendum sit, de communi, & toto genere dicamus, ut si justitiam laudaturus, de ipso genere virtutis dicam. His fere de caussis argumenta reprehendi solent, quas quidem latius fortasse explicavi, non solum quia vitiosam epistolam, sed quia omnia quoque scripta, atque adeo sermonem ipsum vitiosum reddunt. Neque vero id tan-

tantum feci, ut in aliorum ſcriptis hæc vitia cognoſcamus, ſed multo magis, ut ipſi caveamus. Reliquum erat in confutatione, ut contra adverſarii argumentationem, aliam vel firmiorem, vel æque firmam collocaremus: quod quidem tum ad deliberationes, tum ad conſolationes eſt maxime neceſſarium. Id fit, ſi quum aliquid adverſarii utile dicent eſſe, nos id, quod defendimus, eſſe honeſtum dicamus: aut quod illi quibuſdam, nos omnibus, vel multis utile, aut honeſtum, aut acceptum eſſe oſtendamus. Denique id optime fit illa, quam ſupra docuimus bonorum, malorumque comparatione. Sed de confutatione ſatis. Nunc ad concluſionem tranſeamus.

De Concluſione.

CAPUT XXVIII.

Concluſio eſt artificioſus terminus totius non orationis modo, ſed cujuſvis etiam materiæ: quæ a nobis vel dicta, vel ſcripta eſt: in qua auditoris vel lectoris animum ad id, quod volumus, ſumma vi trahere nitimur. Ejus alia in oratione, alia in epiſtola ratio eſt. Oratio enim unum aliquod ſibi dicendum proponit; epiſtola plerun-

runque multa præscribit: illa auditorem, hæc lectorem habet: illa judicium plerunque expectat, hæc nunquam: illa certis tantum locis, id est quatuor, conclusione uti potest, in principio, secundum narrationem, secundum firmissimam argumentationem, in fine totius orationis: hæc multis, & incertis locis, hoc est ubicumque aliqua materia finitur conclusione uti potest. Quapropter neque ita longa, neque ita artificiosa conclusione utetur epistola, præsertim si pluribus de rebus scribatur, aut si negocia, vel res leviores contineat. Igitur si epistola unica de re neque valde longa, neque valde gravi scribatur, satis erit in conclusione, quod velimus, exponere brevi vel amplificatione, vel commiseratione adjecta: quibus de rebus paullo post dicemus. Si gravior erit, pro qualitate materiæ conclusionem adhibebimus. Aliam enim commendatio, aliam consolatio, aliam simplex narratio conclusionem habeat necesse est. Sin plura vel præcepta, vel negocia continebit epistola, & in singulis brevi conclusione, & in fine omnium enumeratione aliqua erit utendum. Quod Cicero facit ad Lentulum in ea epistola, cujus initium est. Perjucundæ mihi fuerunt literæ tuæ, ait enim: Accepisti quibus rebus adductus, quamque rem, caussamque de-

defenderim : quique meus in republica ſit pro mea parte capeſſenda ſtatus . Illud in omni epiſtola ſervandum erit , ut ad ea , quæ diximus , concluſionem applicemus , & lectoris animum cum in ceteris partibus , tum in hac vel maxime nobis conciliemus . Quoniam autem & enumeratione, & amplificatione , & commiſeratione utimur interdum in epiſtola, his de rebus ſummatim quædam attingemus.

De Enumeratione.

CAPUT XXIX.

ENumeratio eſt brevis earum rerum , quæ dictæ ſunt , repetitio , quæ a Græcis ἀνακεφαλαίωσις dicitur , ea ita utemur in epiſtola , ut rerum tantum capita breviter repetamus , ne res ſingulas longius proſequamur , ut ad ea , quæ legit , animus auditoris reducatur , non redintegretur oratio . Neque vero non modo ſemper enumeratione utendum eſt , ſed varianda tum ratio , tum oratio , ne vel afferat lectori ſatietatem , vel artificii ſuſpicionem pariat , quo nihil magis fugiendum eſt . Varietas autem comparabitur tum ex verbis , tum ex ſententiis hoc modo : Scripſi ad te de hac , & illa re : habes quæ ſcire cupiebas:

hæc habui, quæ de his, & illis rebus ad te scriberem: habes epiſtolam bene longam; quæ quidem plurima legenti, & cogitanti occurrent. Oratio per introductam vel rem, vel perſonam, interdum enumeratione utitur: ut, Si Reſpublica loqui poſſet, hæc, & hæc diceret: aut, Si pater ipſe judicaret, quid diceret, quum hæc probarentur? Sed his modis rariſſime, vel nunquam epiſtola utitur.

De Amplificatione.

CAPUT XXX.

Amplificatio eſt oratio ex communibus locis ſumpta ad rem augendam, vel exaggerandam. Loci communes ſunt, qui ad omnes cauſſas accommodari poſſunt: hi plurimi ſunt. Nos paucos, & ad inſtitutionem noſtram maxime neceſſarios proferemus. Ex his primus, ac præcipuus eſt ab autoritate Dei in primis, & eorum, quos Sanctos appellamus, deinde Pontificum, regum, & principum, civitatum, populorum, magiſtratuum, præterea ſapientum, juriſconſultorum, legum, ceterarumque tum perſonarum, tum rerum, quæ ſummam inter homines autoritatem habent: quum oſtendimus, quid de re, de qua agimus,

mus, senserint, dixerint, fecerint, curaverint. Alius est locus, per quem ostendimus, ad quos ea res pertineat, utrum ad omnes, an ad superiores, de quibus modo diximus, an ad pares amore, fortunis, corpore; an ad inferiores ætate, fortuna, ceterisque rebus: rursus ad optimum quemque, an ad quemvis: ad vivos, an ad defunctos: ad parentes, an ad posteros. Alius est locus, per quem quid boni, aut mali ex ea re sit eventurum, ostendimus, si hoc nobis, vel aliis sive concedatur, sive negetur: nam in utramque partem loci communes accipi possunt: quod miror esse a Cicerone, quum de his scriberet, prætermissum. Alius locus est, per quem multos hoc exemplo vel ab ea re territum, vel ad eam rem incitatum iri, sive illa bona, sive mala sit, demonstramus. Alius est, per quem ostendimus cetera vel male facta corrigi; aut aboleri, vel bene facta in memoriam redire posse, si hoc recte factum, aut judicatum fuerit; si contra evenerit, male facta superiora in memoriam reditura, anteacta bona omnia peritura. Quo loco, ut id, quod volumus, efficiamus, aliarum rerum comparatione uti poterimus. Alius locus est, per quem ostendimus voluntariæ rei, si mala sit, nullam satis dignam pœnam: si sit bona, nullam mercedem, vel laudem satis di-

gnam reperire posse. Alius locus est, per quem ostendimus, ejus generis id factum esse, ut ejus caussa, vel parvæ res sæpe crescant, vel maxime dilabantur: ex quo item maxima bella vel oriantur; vel extinguantur. Alius locus est, quo factum in alterutram partem verbis exaggeramus, hominesque ob id, quam ocyssime vel puniendum, vel remunerandum adhortamur. Alius est, quum peccata inter se, vel benefacta comparamus, ostendimusque illud, de quo agimus, cetera superare. Alius locus est, per quem negocium breviter ponimus ante oculos, ut geri videatur: & quæ vel bona, vel mala consequi eam rem soleant, enumeramus, ut earum rerum enumeratione negocium ipsum augeatur. Alius est, per quem petimus ab hominibus, ut res nostras ad sese referant, & de se, ac de suis geri putent, idque de nobis, ac de nostris parentibus, liberis, uxoribus, ac de rebus omnibus statuant, quod de suis statui velint. Alius est, per quem ostendimus hoc facinus etiam hostibus admirandum, vel detestandum videri. Atque ab his potissimum locis communibus amplificatio sumi solet. Proprios causæ scriptor ipse judicabit. Neque vero omnibus his semper est utendum, sed ut quisque ad nostram caussam maxime faciet. Illud in primis videndum est, ut hos

hos locos, ſive ad laudem, ſive ad vituperationem, ſive ad indignationem, ſive ad conſolationem, ſive ad aliam rem quampiam apte convertamus, ne in concluſione tantum, ſed in ceteris quoque partibus, præſertimque in argumentationibus amplificationem accommodate collocemus.

De Miſeratione.

CAPUT XXXI.

Miſeratio, ſive miſericordia eſt affectus animi, per quem alienos caſus dolemus, & ad præſtandum illis, quod petunt, inclinamur. Eam in aliis commovebimus, ſi oſtendemus variam fortunarum commutationem, & bona, & in quibus fuimus, cum malis, quæ patimur, & paſſuri ſumus, comparabimus: ſi commoda, quæ ſperabamus, & incommoda, quæ nos conſequuntur, proferemus: ut in morte filii, propagatio ſobolis, ſpes bonorum, ſolatium ſenectutis: contra, domus everſio, deſperatio, orbitas. Item ſi turpia, atque indigna genere, ætate, dignitate noſtra, ad quæ devenerimus, vel deventuri ſumus, proferemus. Si calamitates noſtras ſingulas ante oculos ponemus, ut non audireas, aut legere homines, ſed videre videantur.

tur. Si rogabimus, de se, ac de suis conjecturam faciant, cogitentque posse eadem omnibus accidere, quæ nobis acciderint: & quum nos vident, parentum, liberorumque suorum, sui denique ipsorum recordentur. Item, si orationem vel ad absentes, vel ad mortuos, vel ad res sensu carentes, nobisque charissimas, ut patriam, domum, & cetera ejus generis, convertemus. Item, si disjunctionem a rebus nobis charissimis, si patriæ, parentum, ceterorumque nobis conjunctissimorum amissionem, si orbitatem, solitudinem, si corporis, & fortunæ incommoda proferemus. Item, si conqueremur nos ab illis potissimum contumelia, & injuria affici, qui vel nos amare, & juvare maxime debeant, ut propinqui: vel sint de nobis optime meriti, ut amici, clientes; vel indigni sint, qui nos offendant, opprimant, subjiciant, ut servi, rustici, plebei, atque obscuri homines, in primisque vitiosi. Item, si supplicibus, & lacrymosis verbis orabimus, ut nos respiciant, nostræ necessitati ignoscant, subveniant, nostri misereantur: si dicemus nos non nostra, sed parentum, aut liberorum, aut aliorum, qui ex nobis pendeant, caussa moveri. Postremo, si ostendemus animum cum in alios misericordem, tum vero constantem, & malorum omnium patientem,

atque

atque ad omnia paratum habere, semperque habituros: & quicquid evenerit forti, atque excelso animo toleraturos, nam fortitudo, & constantia in viro, præsertim gravi, plus interdum ad misericordiam proficit, quam humilitas, & supplicatio. Atque his potissimum locis misericordia commovetur. Verum ut in amplificatione diximus, non sunt omnes in omnibus caussis aut quærendi, aut collocandi: sed est ex his optimus quisque, & ad nostram causam accommodatissimus quisque deligendus. Commiserationem enim brevem esse oportet: nam, ut ex rhetoris Apollonii sententia scribit Cicero: Lacryma nihil citius arescit. Sed quoniam satis multa de his, quæ polliciti sumus, explicavimus, huic libro modum imponemus.



LIPPI BRANDOLINI

Ad Rmum Patrem, & Dnum,

D. FRANCISCUM

PICOLOMINEUM,

Cardinalem Senensem,

De Ratione scribendi,

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.



N libro superiore, sapientissime Pater, quæ esset epistolarum inventio, quot, & quæ earum genera, primum exposuimus. Deinde, quoniam sunt tria caussarum genera, demonstrativum, deliberativum, judiciale, quas caussas recipere posset epistola, demonstravimus. Tum de sex partibus orationis, exordio, narratione, divisione, confirmatione, confutatione, conclusione, ut visum est, breviter disseruimus, easque partes ad scribendi rationem accommodavimus. Nunc, quoniam e tribus illis caussarum generibus unumquodque epistolam reci-

recipere posse supra diximus, consentaneum esse videtur, ut de singulis aliquid breviter attingamus: & qua ratione unumquodque in epistola tractari conveniat, aperiamus: deinde ad ipsas epistolarum species descendemus, & quo singulæ pacto tractandæ sint, quantum poterimus, duobus his libris aperiemus. Postremo de dispositione, atque elocutione, quæ maxime necessaria videbuntur, in tertio libro paucis explicabimus, ut hæc, quam suscepimus de scribendi ratione institutio, quo ad fieri potest, perfecta, absolutaque sit. Nunc igitur ad caussarum genera revertamur. Ea quoniam tria esse supra diximus: judiciale, quod & difficillimum est, & minime nostris temporibus usitatum, primum absolvemus: neque vero id totum superstitiosius exequemur. Nam & longissimum est, & in usum scribendi non ita frequenter venit: sed eas tantum illius partes, quæ ad scribendum accommodari posse videbuntur, explicabimus, reliquas summatim pertransibimus.



De

De constitutionum generibus.

CAPUT II.

IN omni caussa primum omnium constitutio invenienda est, ut quo pacto caussa ipsa tractanda sit, facilius cognoscamus. Ea, ne in omnibus decipiamur, ab aliis status caussæ, ab aliis quæstio, ab aliis caput, Græce vero στάσις est appellata. Est autem constitutio, prima deprecatio defensoris, cum accusatoris insimulatione conjuncta: vel, ut Quintiliano placet, prima caussarum conflictio. Est enim constitutio, sive status, ubi primum propter accusatoris, & rei discordiam caussa constitit: ut, Fecisti; non feci; hic caussa consistit, an fecerit: vel, Fecisti; feci, sed recte feci, hic caussa stat, an recte fecerit. Quanquam autem propria est judicialis generis constitutio, potest tamen in alia etiam genera cadere: in demonstrativum, ut quum quærimus, an is quem laudamus, eo tempore, vel eo loco, vel apud illos laudandus sit: item, an ejus magnitudo nostris laudibus possit augeri: item quum quærimus, quanta ejus virtutibus prœmia: vel in vituperatione, quantæ ejus vitiis pœnæ debeantur, atque in his rebus omnis nostra versatur ora-

oratio. In quo genere Cicero scribit Cæsarem in Catonem omnibus constitutionibus esse usum. In deliberativum genus cadit constitutio, quum disceptamus, an honestum, an utile futurum sit id, quod in consultationem venit; item quum disputamus, an fieri possit, de quo quæritur: ut, an everti possit Carthago, etiamsi ejus eversio a republica futura sit. Judicialis generis exempla sunt passim: ut, quum Ulysses accusatus, quod Ajacem interfecerit: aut, quum Orestes accusatus, quod matrem occiderit, jure id se fecisse defendit. Constitutio est in priore exemplo, utrum fecerit. Hoc inferius genus quanquam rarius, nonnunquam tamen etiam in epistolam venit: ut cum apud amicum, vel apud principem negligentia, vel ea, quæ objiciuntur crimina, per epistolam excusamus. Item quum aliquod nostrum factum, vel innocentiam nostram defendimus, quo in genere pulcherrimæ Ciceronis, & ad Appium Pulchrum, & ad Q. Metellum, & ad alios quamplurimos epistolæ reperiuntur. In omni autem caussa constitutio invenitur, quum consideramus id, de quo quæritur, an sit, quid sit, quale sit: hic ex tribus temporibus considerari potest, præsenti, præterito, futuro: ut an sit factum, an fiat, an futurum sit: & eodem modo in ceteris, quum

quum quærimus an ſit,conjectura eſt:quum quærimus, quid ſit, definitio : quum quærimus, quale ſit, qualitas appellatur. Quoniam autem, quum factum defendimus, aut legibus, aut rationibus defendimus, qualitas legalem, ſive legitimum, & juridicialem ſtatum efficit. Poſſunt igitur eſſe quatuor omnino ſtatus, ſive conſtitutiones: Conjecturalis, qua quæritur an ſit: definitiva, qua dubitatur quid ſit: legalis, ſive legitima, qua factum legibus, ſcriptiſve defenditur: juridicialis, qua factum rationibus comprobatur, atque hæc ſunt conſtitutionum genera. Nunc quo ſingulæ modo ad judicialem cauſſam, quam primam explicandam propoſuimus, accommodari debeant, ſummatim dicemus, a conjecturali potiſſimum incipientes.

De conjecturali conſtitutione.

CAPUT III.

Conjecturalis conſtitutio eſt, in qua utrum aliquid factum ſit, quia non conſtat, ſignis, & conjecturis inveſtigatur. Ea quum in cauſſam inciderit, is qui locum accuſatoris obtinebit, narrationem ita ſuſpicionibus ſparget, ut omnia rei facta, dicta, conſilia, in ejus, de quo agitur, criminis

minis suspicionem trahat. Qui defensoris loco u etur, plane, simpliciterque narrabit, suspicionesque omnes quantum poterit, removebit; habet hæc constitutio partes sex: probabile, collationem, signa, argumenta, consecutionem, approbationem. Probabile est, per quod ostendimus expedisse reo peccare. Id consideratur in re, & persona, sive in causa, & vita. In caussa accusator considerabit, quæ commoda inde reus consequi, quæque incommoda evitare potuerit: eaque omnia reum secutum esse ostendet. Reus contra, se nihil commodi adipisci, nihil incommodi ex ea re vitare potuisse demonstrabit: imo aut incommodum, aut dolorem se ex eo facto cœpisse ostendet. In vita, accusator anteactam rei vitam in crimen, aut suspicionem advocabit, ut id, de quo quæritur, ceterorum criminum exemplo probetur. Id si non poterit, dicet reum cetera vitia dissimulasse, atque occultasse, hoc celare præ turpitudine non potuisse. Reus vel anteactæ vitæ probitatem, atque innocentiam afferet: vel si id non poterit, quæ olim non fecerit, ætati, imprudentiæ, ignorantiæque ascribet: id vero genus flagitii se magnopere semper evitasse ostendet. Collatio est, in qua accusator per comparationem ostendet, alium neminem id facere potuisse:

se: huic & commodum, & facile, & necesse pene fuisse. Reus & has ab se suspiciones omnes, quantum poterit, removebit: & alios iisdem de caussis id facere potuisse, ostendet. Signum est, quod facultatem rei perficiendæ quæsitam ostendit. In eo considerabitur locus, celebris, an desertus: publicus, an privatus: commodus, an incommodus: item tempus, ut quæ pars anni, diei, noctis spacium, utrum satis magnum ad rem perficiendam fuerit; occasio, sive opportunitas, quæ fuerit expectata, exquisita, aut omissa: item quæ spes perficiendi, quæ celandi criminis fuerit, quæ quidem omnia accusator augebit, reus minuet, atque attenuabit. Argumentum est, quod certiora signa rei faciendæ, vel factæ ostendit: faciendæ, ut quum ante tempus apparatus, instrumenta, & res ad id necessariæ proferuntur: quum reus fecisse, dixisse aliquid ad rem perficiendam per se, vel per alios demiratur. Factæ rei argumenta sunt, quum ipso facinoris tempore, vel paullo post, ubi reus, aut cum quibus fuerit, aut quo habitu, vultu, gestu fuerit, explicatur. Quæ quidem pro causæ qualitate, tum ab accusatore, tum a reo vel objicientur, vel refellentur. Consecutio est, quum quæritur, quæ signa nocentis, & innocentis rem ipsam consequi soleant. In ea accu-

accusator rei fugam, latitationem, timorem, & his similia proferet. Reus innocentiam suam ex præsentia, conscientia, rebusque contrariis comprobat. Approbatio est, qua suspicionem injectam locis tum propriis, tum communibus, vel confirmamus, vel infirmamus. Loci proprii sunt, quos secum caussa quæque adducit, de quibus privatim præcipi nihil potest. Communes sunt a testibus: ut quum rem nostram juratis testibus comprobamus, de eorumque fide, autoritate, constantia, vita, plura dicimus. Contra testes, quum eos ab his omnibus partibus confutamus: eosque vel scire id non posse, vel cupide id dicere, vel corruptos, vel parum idoneos esse demonstramus, suspicionesque ad eam idoneas ex supra dicta divisione afferimus. Contra quæstiones locus est, quum labefactari, atque infringi tormentis ingenuorum corpora, ex levi suspicione, iniquum atque impium esse dicimus: dolori alium alio magis minusve resistere demonstramus, multos dolore victos fateri, quæ nunquam commiserint, suspicionem parum idoneam ad tormenta. Ab argumentis, signis, & conjecturis locus communis est, quum dicimus rem tot signis, atque argumentis patefactam, perspicuam, non suspiciosam videri debere: hæc plus quam ullos testes vale-

re;

re; testes enim mentiri, corrumpi, ac falli posse, hæc non posse. Contra hæc omnia communis locus est, quum suspiciones attenuamus, easque non minus in alios, quam in nos convenire ostendimus: quum iniquum esse dicimus, ex tenui suspicione quemque judicari; si sic facere liceat, unumquemque in jus rapi, atque in suspicionem multorum criminum trahi. A rumoribus locus communis, quum esse id de reo vulgatum, & in omnium jam ore versari, neque temere vulgari turpem de aliquo rumorem solere: neque caussam hominibus cur id fingant, esse dicimus. Contra rumores locus est, quum vulgo, & famæ dicimus credi non oportere: rumores ut plurimum falsos esse, idque exemplo alicujus falsi rumoris ostendimus: item quum fictum, aut verum de adversariis rumorem proferimus, quem in ore omnium esse dicamus, eique tamen nos fidem ostendimus non habere. Atque hæc in conjecturali caussa considerantur: quæ quoniam in epistolam cadere frequenter solent, quum rem vel factam, vel faciendam conjectura investigamus, quod Cicero ad Lentulum in caussa regia plane ostendit: propterea sunt a me pluribus verbis explicata. Nunc ad legitimam constitutionem transeamus.

De

De legitima constitutione.

CAPUT IV.

Legitima constitutio est, quum ex lege, aut scripto, aut nomine facti controversia nascitur: ut quum leges, testamenta, voces ipsæ alio modo ab accusatore, alio ab reo accipiuntur. Ea quoniam tota juris consultorum est, neque cadere non modo in epistolam, sed ne in orationem quidem nostra ætate unquam potest, ad susceptam institutionem non pertinet: sed ne videamur eam aut neglexisse, aut ignorasse, quoniam in ordine divisionis venit, eam paucis explicabimus. Habet igitur partes sex: Scriptum, sententiam, contrarias leges, ambiguum, definitionem, translationem, ratiocinationem. Ex scripto, & sententia controversia nascitur, quum voluntas scriptoris cum scripto dissentire videtur hoc modo: Sit lex, quæ jubeat eos, qui navem ob tempestatem deseruerint, perdere navem, si servetur eorum esse, qui in navi remanserint. Igitur quum tempestate periclitaretur navis, omnes eam metu deseruere præter unum ægrotum, qui fugere non potuit; navis casu servatur, eam ægrotus lege possidet: repetit is, cujus fue-

 rat,

rat, quod ægrotum dicat necessitate, non voluntate in ea remansisse, neque hoc sensisse scriptorem. Nascitur controversia ex scripto, & sententia. Ex contrariis legibus controversia constat, quum alia lex quippiam jubet, aut permittit, alia vetat hoc modo: Lex vetat hominem repetundarum damnatum in concione orationem habere. Alia lex jubet augurem eum, qui defuncti locum petat, in concione nominare. Augur repetundarum damnatus, eum qui defuncti locum petit, in concione nominat; petitur ex eo multa ex priore lege: is se posteriore defendit; nascitur quæstio ex contrariis legibus. Ex ambiguo controversia nascitur, quum scriptum duas, aut plures inter se sententias videtur habere hoc modo: Cicero in testamento sic scribit: Tullius hæres meus dato Terentiæ uxori meæ triginta pondo argenti, quæ volet. Illa post viri mortem optimum, & preciosissimum petit: hic deterrimum vult dare: uterque testamenti verba pro se interpretatur; quæstio nascitur ex ambiguo. Ex definitione controversia oritur, quum de nomine facti dissensio est hoc modo; Quidam sacra vasa in loco profano relicta casu reperit, domum detulit: quæruntur a sacerdotibus, apud hunc inveniuntur: accusatur sacrilegii, defendit se vocabuli definitione: neque

sa-

facrilegum, neque furem effe: & quid facrilegium fit, quid furtum definit; nafcitur ex definitione controverfia. Ex translatione caufsa conftat, quum aut tempus differendum, aut accufatores, aut judices mutandos reus dicit; hæc apud veteres quoque perraro in judicium veniebat. Ex ratiocinatione cauffa conftat, quum res fine propria lege venit in judicium, fed fimilitudinem aucupatur ex legibus hoc modo: Lex eft, fi quis furiofus erit, in eo, & bonis ejus cognatorum poteftas efto. Et lex, qui patrem necaverit, in fluvium demergatur. Et lex, paterfamilias uti fuper familia, pecuniaque fua legaverit, ita jus efto. Et lex, fi paterfamilias inteftatus moritur, pecunia ejus agnatorum efto. Malleolus per furorem matrem necat: in carcerem truditur, ibi teftamentum fcribit: mox in fluvium mergitur: hæredes adeunt hæreditatem: frater minor Malleoli, qui eum parricidii accufaverat, fuam hæreditatem vocat, quod is ob furorem teftari non potuerit; hic certa lex in hanc caufam nulla, multæ tamen per fimilitudinem afferuntur; nafcitur ex ratiocinatione controverfia. Ac de legitima conftitutione hactenus, nunc ad juridicialem tranfeamus.

De Juridiciali constitutione absoluta.

CAPUT V.

JUridicialis constitutio est, in qua de facto convenit, jure, an injuria factum sit, quæritur: ut quum Orestes se matrem fatetur occidisse, sed jure id a se factum esse defendit. Ejus partes sunt duæ, absoluta, & assumptiva. Absoluta est, in qua factum ita defenditur, ut nulla ad id extranea defensio petatur: ut, Mimus, qui Accium poëtam in scena nominavit, in jus ab eo vocatus, id solum defendit, licere nominari poëtam, cujus scripta dentur agenda. Ea constitutio tractabitur, quum idipsum, quod factum esse constat, licere ostendemus. Probatur autem aliquid licere jure naturæ, lege, consuetudine, judicato, æquo, & bono pacto. Naturæ jus est, quod nulla institutione ab ipsa natura nobis insitum est: quale est, ut liberi a parentibus amentur, eosque ipsi mutuo ament, ac colant. Lex est constitutio, quam populus, vel senatus, vel princeps sanxit: quale est jus civile, jus pontificium, quod jus canonicum appellamus. Consuetudo, est usus diu inter homines nulla lege servatus: quale est, ut mortui in monumentis majorum sepeliantur.

tur. Judicatum eſt, quod ſententia unius, aut multorum judicum aliqua de re publice decretum eſt: quales ſunt ſententiæ, quæ quotidie a judicibus in omni civitate de cauſſis feruntur. Eæ quoniam eadem de re ſæpe diverſæ ſunt, videndum eſt, ſi quando eas in noſtra cauſſa proferemus, ut & plurimas, & approbatiſſimas afferamus, quo loco tum judices, tum res ipſas judicatas inter ſe comparare poterimus. Quod autem de judicatis in cauſſa judiciali accidit, id in epiſtola de rebus ab alio dictis, ac factis accidere poterit; in epiſtola enim omnis generis cauſſæ ſæpe incidunt. Sed hoc ab oratione differt epiſtola, quod oratio judices habet, epiſtola non habet, niſi illum ipſum, ad quem ſcribimus, noſtrarum rerum judicem velimus. Æquum, & bonum eſt, quod boni viri omiſſo juris rigore, ad communem utilitatem judicavere: ut ſi pater filium exhæreditaverit, & qui hæredes conſtituti ſunt, ei dare aliquam partem bonorum paternorum judicentur. Factum eſt id, quod duo, pluresve ſervandum pepigere; ſeque ad id vel ſolo verbo, vel jurejurando, vel ſcripto aſtrinxerunt; his partibus juridicialem abſolutam tractari conveniet.

De judiciali Assumptiva.

CAPUT VI.

ASsumptiva juridicialis eſt, quæ factum accerſita extrinſecus ratione defendit: ut quum Oreſtes dicit: Occidi matrem, quia illa patrem meum occiderat. Hæc partes habet quatuor: conceſſionem, remotionem criminis, translationem criminis, comparationem. Conceſſio eſt, per quam nobis ignoſci poſtulamus. Ea dividitur in purgationem, & deprecationem. Purgatio eſt, quum conſulto a nobis factum negamus. Ea dividitur in neceſſitatem, fortunam, & imprudentiam. Neceſſitas eſt vis, cui a nobis occurri non poteſt. ut ille, qui ad diem ſtatutum in judicium non venit, quod eum morbus, vel vis aquarum impediſſet. In ea videndum eſt primum, utrum ea neceſſitas ſit ſatis idonea ad impediendum cauſſa: deinde, num noſtra cauſſa acciderit, num vitari potuerit, num conſulto in eam incidiſſe exiſtimari poſſimus. Poſtremo, num ob eam neceſſitatem excuſari, aut abſolvi debeamus. Fortuna eſt caſus inopinatus, atque improviſus, ut qui quum feram ſagittis peteret, hominem caſu prætereuntem interemit. Im-

Imprudentia est inconsiderata dictorum, factorumque emissio, ut qui criminis culpam in amorem, ætatem, ignorantiam confert. Ac fortunæ quidem, & imprudentiæ iidem pene loci, qui necessitatis sunt. Considerare enim oportet, num id prævidere, aut scire, aut cavere potuerimus: num caussam ei rei aut ipsi præbuerimus, aut præbuisse existimari possimus: num satis ea res, quam afferimus, præsidii, aut momenti habeat: num ob id nobis ignosci conveniat. Sed hæc omnia erunt pro ejus, apud quem agemus, qualitate tractanda: aliter enim nos apud amicum, aliter apud superiorem, aut principem excusamus. Deprecatio est declinandæ pœnæ gratia facta supplicatio. Ea est, quum reus fatetur se non casu, aut imprudentia, aut necessitate, sed consulto peccasse, & tamen postulat ignosci sibi. Ignoscendi ratio ex personis, & rebus maxime sumitur. Ex persona ejus qui peccavit, quum ejus nobilitatem, virtutem, meritaque in patriam, in alios, vel in eos ipsos, qui sunt ignoturi, ostendimus: quum ejus merita cum peccatis comparamus, & multo plura ac majora hæc, quam illa esse probamus: quum optimam de eo spem in posterum demonstramus, quum eum non dolo, aut odio, aut malo animo peccasse dicimus. A persona judicum ve-

niam captabimus, si de eorum humanitate, clementia, consuetudine ignoscendi quamplurima proferemus: si eos, quibus ipsi ignoverint, in exemplum adducemus, & homines homini, caussam caussæ comparabimus: si ex ea re non modo nullam infamiam, sed maximam etiam clementiæ, & mansuetudinis laudem eos, si ignoverint, consecuturos esse ostendemus. A re ipsa captabimus veniam, si rem ipsam, quantum licebit, omni ex parte attenuabimus: si in re simili aliis ignosci solere, aut ignotum esse ostendemus. Hæc quidem caussa in judicium nunquam venit: in privatum vitæ usum, atque in epistolam sæpe venit: propterea que est a nobis pluribus verbis explicata. Remotio criminis est, per quam a nobis non crimen, sed culpam removebimus, eamque aut in hominem quempiam, aut in rem transferimus. In hominem, ut qui hominem occidit, id se magistratus, aut principis jussu fecisse defendit. In rem, ut qui noctu armatus contra edictum inventus, id se vel inimicitiarum, vel grassatorum caussa fecisse affirmat. Si culpam in hominem conferemus, primum ostendere oportebit, quam ille jubendi potestatem habeat. Deinde utrum nos honeste recusare, quod jubebatur, poteramus. Postremo, num ea de caussa nobis ignosci conve-

veniat. Quum in rem culpam conferemus, & hæc eadem, & ea, quæ de necessitate præcepta sunt, erunt servanda. Translatio criminis est, per quam nos aliorum peccatis coactos peccasse confitemur: ut Orestes, qui crimen suum in matrem confert, quæ patrem ante interemerit. Hac in parte considerandum erit, primum, num vere crimen in alium transferatur: deinde, num æquale sit huic, de quo agitur; deinde, an judicium de illo factum sit: tum, an debuerit reus alio crimine crimen illud vel judicare, vel ulcisci: postremo quid futurum sit, si ceteri idem faciant, & sibi jus armis dicant; quid si idem accusator nunc fecisset? Atque hi sunt accusatoris loci. Reus atrocitatem alieni criminis ponet ante oculos, seque id coactum fecisse ostendet, neque utile, aut tutum fuisse judicium expectare. Comparatio est, quum de duobus malis minus nos elegisse ostendimus, ut qui obsessus ab hostibus, quum de salute desperaret, exercitum incolumem eduxit, impedimenta hostibus tradidit. In ea primum accusator quæret, utrum utilius, honestius, laudabilius fuerit id, quod reus fecerit, an aliud quippiam. Deinde habuerit ne is statuendi potestatem, an ab alio petere debuerit. Deinde fuerit ne aliud remedium, ne id fieri necesse esset. Tum in-

inferetur ab accusatore per conjecturam suspicio avaritiæ, doli, metus, aliarumque rerum, quæ augere crimen possunt. Defensor, & suspicionem cupiditatis, ac doli omnem tollet, & magnitudinem periculi ponet ante oculos: tum ab judicibus, ab accusatoribus quæret, quid ipsi fecissent, si eo in discrimine constituti fuissent. Postremo, per comparationem malorum ostendet nihil aliud utilius fieri potuisse. Ac de judicialis quidem caussæ generibus, satis pro suscepta institutione dictum puto. Nec dubito fore, qui supervacuam hanc partem existiment, quum epistola ad amicum, non ad judicem scribatur. Sed primum ita caussæ tractandæ sunt, ut amicos quoque de illis judicaturos existimemus. Deinde ad superiores nonnunquam, item ad invidos, & inimicos scribimus, apud quos non aliter, quam apud judices objectiones refellere, nostrum factum excusare, accusare alios sæpe compellimur. Postremo, nulla de re scribere possumus, in quam non aliquis ex iis, quos diximus, locis incidat. Sed hæc hactenus. Nunc ad deliberativum genus transeamus.

***

De

De Caussis deliberativis.

CAPUT VII.

IN omni autem deliberatione tria potissimum notare debemus, personas, res, caussas. Personæ duæ sunt, nostra, & eorum, apud quos agimus: aliter enim civis agere debet, aliter peregrinus: item aliter magistratus, vel princeps, vel dominus: aliter privatus, vel subditus, vel servus. Sunt præterea dignitatis, loci, ætatis, temporis differentiæ: ut aliter sacerdos, aliter popularis: aliter juvenis, aliter senex: aliter in templo, aliter in senatu, vel in foro, aliter in bello, atque apud exercitum, aliter domi, cum pax est, verba faciat. Permagni quoque refert, apud quos dicamus, vel ad quos scribamus, aliter apud senatum, aliter apud populum, aliter apud principem, aliter apud amicum loquimur. Quarum quidem personarum habere rationem, prudentia, atque usus vitæ potius, quam ars ulla docere nos potest. Veruntamen nos quoque ea, quæ præcipi hac de re posse videbuntur, suo loco dicemus. Res omnis, quæ in consultationem venit, aut possibilis, quod Græci δυνατὸν vocant, aut utilis, aut honesti rationem habet. Neque

que vero utile ab honesto separo, quod aliud utile, aliud honestum esse censeam: sed quia cum imperitis, ut plurimum agimus, qui utriusque rei rationem in vita communi separavere, nobis etiam in dicendo, ac scribendo separanda est: ut nunc solam honestatem, nunc solam utilitatem propositam habeamus. Quum deliberamus, utrum aliquid fieri possit, id ex tempore aut præsenti, aut futuro consideramus. Ex præsenti, ut quum Pontifex deliberat, utrum fieri Ostiæ portus possit. Ex futuro, ut idem consultat, si Ferdinando Regi bellum inferat, utrum eum possit ex Italia expellere. Quæ quidem deliberatio quoniam in conjectura tota posita est, inde loci omnes nobis petendi sunt. Illud tamen videndum, ut quæ superius de re facta præcepta sunt, ea nunc ad rem faciendam accommodemus. Illa præterea consideranda sunt, locus, tempus, modus, occasio, facultas, & cetera, quæ aut gerendum negocium præcedere, aut gestum subsequi solent, Quæ quidem omnia, quoniam in priori volumine, quum de confirmatione ageremus, satis abundeque tractavimus, inde repetemus. Utilis autem consultatio distribuitur in bonorum, malorumque rationem. Bona in vita communi aut corporis, aut fortunæ, aut animi appellamus. Bo-

Bona corporis sunt vires, valetudo, forma, celeritas, agilitas, & cetera ejus generis. Fortunæ bona sunt, nobilitas, opes, honores, dignitates, potentia. soboles, familia, & quæ his similia sunt. Animi bona sunt, ingenium, memoria, virtutes, disciplinæ, mores, & quæ sunt ejus generis. Mala horum omnium contraria sunt, ut imbecillitas, ægritudo, tarditas, fortunæ obscuritas, paupertas, abjectio. Animi vitia, ignorantia, morum perversitas. Atque in bonis quidem adeptionem, conservationem, incrementumque considerabimus. In malis imminutionem, fugam, evasionem, immunitatem. Honesti consultatio in recti, & laudabilis rationem dividitur, non quod laudabile aliquid esse possit, quod rectum non sit: aut rectum, quod non sit laudabile: sed quia rectum nonnunquam sine laude est, laus sine recto nunquam est. Nonnulli vero sine ulla spe, aut cupiditate gloriæ rectum expetunt: alii solam rerum gestarum, tanquam precium expetunt gloriam. Ideo mihi utriusque locos tractandos seorsum existimavi. Rectum igitur quatuor ex partibus maxime sumitur, prudentia, justitia, fortitudine, modestia. Prudentia, est rerum omnium ad usum vitæ pertinentium cum delectu scientia. Ejus partes sunt, memoria, intel-

telligentia, providentia. Memoria eſt, per quam ad uſum noſtrum præterita recordamur. Intelligentia eſt, per quam præſentia recte perſpicimus. Providentia eſt, per quam futuris occurrimus. Prudentiæ partibus utemur, ſi præteritis rebus præſentes, futuraſque comparabimus: ſi commoda cum incommodis conferemus: ſi rationibus, atque exemplis, quæ ſequenda ſint, & fugienda, demonſtrabimus: ſi alicujus ſcientiæ, aut artis rationes ad rem, de qua agimus, afferemus: ſi quo pacto eorum apud quos agimus, dignitati, ac ſaluti conſuli in poſterum poſſit, oſtendimus. Juſtitia eſt æquitas, jus ſuum unicuique pro dignitate tribuens. Ejus partes ſunt pietas, fides, beneficentia, & quæ proprie appellatur juſtitia. Pietatis partibus utemur, ſi in Deum, patriam, parentes, propinquos ſervanda eſſe officia ſuadebimus. Fidei partibus utemur, ſi pacta, conventiones, promiſſa omnibus inviolabiliter ſervanda eſſe, oſtendimus. Beneficentiæ partibus utemur, ſi opes, & copias non ad luxum, ſed liberalitatem conferendas: ſi ſociis, amicis, propinquis, bonis viris, indigentibus ſubveniendum eſſe dicemus. Juſtitiæ partibus utemur, ſi naturæ, gentium, civium jura, leges, conſuetudinem, inſtituta ſervari oportere demonſtrabimus; ſi nemini injuriam

riam inferendam: illatam, quantum liceat, propulsandam: Item, si societates, & amicitias colendas: si jus suum amota omni cupiditate, & perturbatione animi, tribuendum: si omnia denique ad communem utilitatem referenda esse censebimus. Fortitudo est animi in rebus gerendis, tolerandisque cum periculorum contemptione constantia. Ejus partes sunt, audacia, patientia, perseverantia. His partibus utemur, si magno animo pericula omnia subeunda esse suadebimus: si mortem, exilium, vincula, cruciatus, tormenta, viro forti nequaquam timenda esse demonstrabimus, ut patriæ, parentum, & eorum ipsorum salus, incolumitas, dignitasque servetur: si nihil turpe, nihil humile, aut indignum, mortis aut doloris, aut periculi metu faciendum, atque dicendum esse ostendemus: si res adversas fortiter, patienterque tolerandas: si summam in dictis, ac factis constantiam servandam esse, hortabimur. Modestia est continens in omni re, ordine adhibito, moderatio. Ejus partes sunt continentia, modus, ordo, decorum. His utimur, si cupiditates opum, honorum, libidinis, gulæ, similiumque rerum vituperabimus: si omnibus in rebus terminum, modumque statuemus: si quid in singulis rebus deceat, videndum, ac servandum esse

se suadebimus. Atque his potissimum locis recti ratio tractabitur. Laudabile id dicitur, quod famam, & gloriam apud omnes honestam, atque optabilem ex sese parit: id sumitur, vel a majoribus nostris, quum ostendimus, quantam illi ex ea re gloriam consecuti sint: vel a præsentibus, quum ostendimus, quanto in precio ea res apud omnes sit: vel a posteris, quum gloriam, vel immortalitatem, vel beatitudinem tum a Deo, tum ab hominibus, ex ea re consecuturos illos esse promittimus. Caussæ autem considerantur in deliberatione, tum ex ipsa re, quæ venit in consultationem, tum ex fine, quem sequi oporteat. Res autem omnis, aut per se deliberationem facit: ut si quis deliberet, det ne operam Philosophiæ, an non; aut propter extraneam caussam: ut si Pontifex deliberet, an inferat Ferdinando Regi bellum, ut ille id, quod Pontifici debet, persolvat. Quibus in caussis locus, tempus, modusque ponitur: ut si quis deliberet, utrum hoc tempore bellum inferendum, aut hoc loco incipiendum, aut hoc modo gerendum sit. Quum res ipsa faciet deliberationem, omnibus eam modis aut augere, aut extenuare oportebit. Quum autem propter extraneam caussam veniet in consilium, primum caussam ipsam vel augebimus, vel minuemus. Deinde

quan-

quantum momenti ad rem illam, de qua deliberamus, habere debeat, oſtendemus, & rem cum cauſſa conferemus, ut ſatis ne idonea cauſſa ſit pro magnitudine rei appareat; tum rei finem ſpectabimus, ad eumque noſtras argumentationes omnes dirigemus: finis erit aut utilitas, aut honeſtas. Sed quoniam, ut Quintilianus ait, nihil aliud eſt deliberatio, quam quædam comparatio rationum, ſi quando res utraque in dubium, & comparationem veniet, qui utilitatem præponet, his locis utetur. Incolumitatem, & ſalutem omnibus rebus præferendam eſſe: virtutibus neminem recte uti poſſe, qui a periculis tutus non ſit; non virtutem, ſed temeritatem eſſe ejus, qui, quum ſine periculo poſſit vivere, pericula ſponte ſuſcipiat: neque illi Deum adjutorem eſſe, qui ſe ultro periculis offerat; honeſtum nihil exiſtimari convenire, quod ſalutem non pariat. Qui rationem honeſtatis præferet, his locis utetur. Virtutem nunquam deſerendam, dolorem, mortemque turpitudine, atque infamia leviorem eſſe: mortem honeſtatis cauſſa ultro eſſe ſubeundam. Quo loco eorum exemplis utetur, qui pro patria, & honeſtate ultro mortem oppetiere: neminem exploratum habere, illo vitato periculo, incolumem ſe perpetuo, & immortalem fore: qui

honeste vivat, eum satis, abundeque tutum esse: qui turpiter, diu incolumem esse non posse: fortunam quoque virtuti adjumento esse solere: postremo quæ laus apud posteros, & immortalitas ex recte factis consecutura sit, quæ contra ex turpibus ignominia. Potest autem deliberatio duplex, aut triplex esse: ut si quis deliberet, det ne operam juri civili, an medicinæ, an philosophiæ: quæ quum inciderint, finis omnium spectandus erit, videndumque quid sequatur is, qui deliberet. Quoniam autem deliberatio duplex officium habet, suadendi, & dissuadendi, ex quibus locis suasionem comparabimus, ex contrariis dissuasionem constituemus; contrariorum enim eadem est disciplina. Sed de hoc hactenus. Nunc ad demonstrativum genus transeamus.

De caussis demonstrativis, Diisque laudandis.

CAPUT VIII.

Demonstrativum genus consumitur in laudem, & vituperationem. Sed quoniam & potior laudandi pars est, & ex laudis contrariis locis vituperatio constat, de ea potissimum dicemus. Laus igitur aut a personis, aut a rebus sumitur. Personæ in

in Deos, & homines distribuuntur. Deum ipsum laudare ob ejus magnitudinem vox humana non potest: sed singulos ejus actus laudamus, ut potentiam, sapientiam, providentiam, mansuetudinem, ordinem, & cetera ejus generis, quæ ex ejus operibus consideramus. Ea præterea, quæ ab homine satis intelligi non possunt, admiratione, & veneratione prosequimur, ut creationem mundi, conjunctionem humanæ, divinæque Naturæ, trium Personarum in eadem Essentia (sic enim loqui necesse) distinctionem, & quæ sunt ejus generis, quibus de rebus dicere qui volet, eas, quas dixi, partes amplificabit, hominesque in earum admirationem, contemplationemque adducet. Hoc loco mihi error eorum indicandus est, qui quum divinum aliquid in concione laudaturi sunt, ea de re partim disputant, partim præcipiunt, ac docent, quasi in schola apud discipulos, non in templo apud populum verba faciant: quæ ratio tum a loco, tum a tempore, tum a personis maxime aliena est. In quod quidem vitium plerique eorum incidunt, qui alicubi festis diebus concionantur. Quod quidem mihi dicendum putavi, non ut eos reprehenderem, qui in ceteris disciplinis docti sunt, hanc facultatem omnino non attigerunt: sed ut hi, qui oratores ha-

beri volunt, id vitium & plane cognoscerent, & quantum possent evitarent. Sed ut ad institutum redeamus, ita divinæ res tractandæ sunt, si publice dicamus, ut oratio, non lectio, aut disputatio videatur. Epistola, quia jus docendi habet, liberior est. Hi vero quos Divos, vel recepto jam vocabulo Sanctos appellamus tum ab humanis, tum a divinis partibus laudandi sunt. Humanæ partes, natura, fortuna, & animo continentur. Naturæ, sive corporis partes sunt forma, robur, valetudo, velocitas, agilitas, proceritas, dignitas, & quæ his similia sunt. Has illi partes si habuerint, aut extenuasse jejuniis, aut in solitudine abscondisse, aut squalore, situque obduxisse, aut ad divinarum rerum usum contulisse dicendi sunt: si non habuerint, non quæsisse, imo etiam contempsisse. Fortunæ partes sunt, genus, educatio, patria, honores, dignitates, inopia, clientelæ, amicitiæ, affinitates, liberi, nepotes, & cetera ejus generis: quæ si fuerint, ab aliis partim relicta, partim egentibus erogata, partim ad divinum cultum collata esse dicendum erit: si non adfuerint, non esse quæsita, imo etiam omni studio evitata. Animi partes sunt prudentia, justitia, fortitudo, modestia: quarum officia, quia satis, abundeque in deliberativo genere demonstravimus,

mus, in præsentia attingere non convenit. Hæ partes ita in his vel universæ, vel singulæ laudandæ sunt, ut rectum illud, perfectumque officium, quod κατόρθωμα Græci vocant, semper secutos eos fuisse, omnesque actiones suas ad Dei cultum, atque amorem retulisse demonstremus. Illæ præterea virtutes, quas nostri theologicas vocant, fides, spes, charitas, in summa eorum laude reponendæ. Divinæ partes sunt, quæ supra hominem positæ, humana ope comparari non possunt: ut doctrina sine studio, genera linguarum sine earum commercio nationum, curationes ægritudinum sine arte medicinæ, & alia permulta, quæ tum Apostolis, tum aliis sanctis viris a Deo data esse non dubitamus. Neque vero hæc in omnibus omnia laudanda sunt, sed alia in aliis, ut quisque visus est in aliquo genere præstitisse: ut in charitate Stephanus, Laurentius in patientia; in eloquentia, & linguarum interpretatione Hieronymus, Augustinus in multarum rerum scientia, Antonius in sanctitate vitæ, & ceteri eodem modo. Multorum mors ipsa insignis, atque admiranda est, quos recepto græco vocabulo martyres appellamus. Aliorum vel inventio, vel translatio maxime gloriosa, propptereaque consecuti sunt homines eo tempore beneficia. Et de sanctorum qui-

dem virorum laudatione hactenus: quam quidem partem sum paullo latius executus, quoniam & res ipsa, quippe quæ nova sit, usque ad hoc tempus intacta fuerat, & hoc tempore magno Romæ in usu est. Nunc ad reliqua pergamus.

De laudandis hominibus.

CAPUT IX.

Ceteri vero homines aut viventes, aut defuncti laudantur: viventes item aut coram, aut absentes. Qui coram laudantur, summa gravitate, summaque modestia laudentur necesse est, ne scurræ magis, & adulatores, quam oratores videamur, dandaque opera est, ut indicandæ potius, & testificandæ aliis virtutis ejus, quam hominis laudandi gratia suscepta esse nostra oratio videatur: justaque in primis, atque honesta, imo etiam si poterimus, necessaria ejus suscepti officii caussa ostendenda est. Oratio vero non nisi ex admiratione quadam ad ipsum, qui laudatur, dirigenda est: curandumque ne id nos munus vel referendæ, vel aucupandæ hominis gratiæ studio suscepisse videamur. Absentes laudare liberius oratio potest: epistola quanquam non erubescat, tamen ne adulationis suspi-

ſpicionem moveat, non poteſt. Defuncti ita mihi laudandi eſſe videntur, ut conſolari magis eos, apud quos dicimus, quam illos laudare velle videamur. Quod contra faciunt plerique eorum, qui noſtro tempore oratores haberi volunt; ita enim ad laudandum accedunt, ut aperte ſe laudatores, atque aſſentatores eſſe fateantur. Ita vero laudant, non ut orationem habere, ſed ut ejus viri recitare ab ſe ſcriptam hiſtoriam exiſtimentur. Mihi vero funebrium orationum ea ſervanda ratio videtur, primum, ut juſtiſſimum eſſe eorum, apud quos dicimus, dolorem, noſtrumque cum illis communem eſſe oſtendamus: Deinde, ut eos illorum, qui defuncti ſunt, virtutibus, rebus geſtis, gloria, felicitate, & memoria conſolemur. Laudantur autem omnes homines ab his potiſſimum partibus, quas ſupra commemoravimus, naturæ, fortunæ, animi. Ac duo quidem illa ſuperiora ita commemorantur, ut non propterea quod ea quis habuerit, ſed quod his optime fuerit uſus laude dignus exiſtimetur; uſus enim illorum non poſſeſſio, laudem affert: nam & a malis plerunque, & ſine ratione poſſidentur. Laudantur tamen non immerito ii, qui quum ignoti, obſcurique ſint, ſummas tum opes, tum dignitates ſunt virtutibus, & rebus geſtis conſecuti. Non-

nullis contra vel paupertas, vel cæcitas, vel alia corporis, fortunæque calamitas laudem, & gloriam non mediocrem attulit, illustrioresque eos incommoda reddiderunt, quam ulla reddere commoda potuissent. Animi vero partes ita laudandæ sunt, ut & habuisse eas quis, & summa cum dignitate semper exercuisse commemoretur. Illa vero, de qua veteres scribunt, virtutum quatuor in partes distributio, in excogitando quidem apud animum semper est, meo judicio, proponenda; in scribendo, aut dicendo non semper explicanda. Omnes enim virtutes in omnibus commemorare si velimus, irridere eos potius, quam laudare videamur; in milite enim religionem, in sacerdote bellicam disciplinam laudare non convenit. Videndum autem est, ut singularum virtutum partes notas habeamus, ne quid quod in illis laudabile sit, præterire possimus: & quúm unius virtutis propria sunt, aliis tribuamus, ut si quis opum distributionem, aut incommodorum tolerantiam prudentiæ ascribat, aut consilium in rebus gerendis modestiæ, ac temperantiæ. Neque vero existimemus eum, qui doctus non sit, prudentem aut sapientem, aut bonum virum appellari non posse: sed qui ita sit affectus, ut multarum rerum usum habeat, multa ab eo extent

vel

vel provisa prudenter, vel acta constanter, vel responsa acute, ut de Catone scribit Cicero, eum appellare sapientem non dubitemus. In justitiæ partibus quædam nostra ætate laudantur, quæ veteres non commemorabant. Et observantia in Deum, ac Religionem nostram, & obedientia, in sacerdotibus præsertim, ac religiosis viris, magnam, si adsit, laudem affert; si absit summam vituperationem. Quid pars illa liberalitatis, quæ egenis succurrit, nobis ex divina institutione tradita, quam nos recepto Græco vocabulo eleemosynam appellamus, quantam nunc hominibus laudem affert, quæ veteribus pene incognita fuerat? Clementia erga inimicos, quæ nobis item ex divino instituto servanda est, si adsit, magna laude digna erit: quam præcipue in Stephano laudamus martyre; si absit sacerdotibus præsertim vitio dari poterit. Patientiam quoque Religio nostra laudabiliorem, atque illustriorem facit. Castitas apud antiquos tantum in mulieribus laudabatur: nunc vero etiam in viris ita, ut intactum se ab omni coitu, mundumque servasse, & ut quidem nunc loquimur. virginem esse, quod de Joanne Apostolo scribitur, summæ laudi, ac sanctimoniæ tribuatur. Quid nobis illæ divinitus traditæ virtutes, fides, spes, charitas, quantam cum

cum omnibus, tum vel maxime sacerdotibus, vel laudem, si adsint; vel absint, vituperationem afferunt? quantum habent in utraque parte momentum? Sunt igitur hæ quoque diligenter, accurateque tractandæ. Atquæ hæc potissimum in laudandis hominibus consideranda sunt. Illud in primis videndum erit, ut proprias unicuique laudes accommodemus: neque omnes eadem ratione laudemus; aliter enim magistratus, aliter privati homines laudandi sunt. Aliæ Regem, aut Imperatorem, aut belli Ducem: aliæ Pontificem, aut Sacerdotem laudes decent. Quæ quidem omnia nisi admodum imprudens, atque imperitus fuerit, discernere unusquisque facillime poterit. Sed de laudibus personarum hactenus, nunc de rerum laudibus pauca dicam.

De rebus laudandis.

CAPUT X.

Res autem omnis corporea est, aut incorporea. Corporeæ res sunt aut a natura institutæ, ut elementa: quæque in illis sunt nata, ut plantæ, metalla, gemmæ; aut hominum industria sunt comparatæ, ut urbes, templa, domus, earumque ornamenta. Incorporeæ sunt, ut artes, ut pi-

pictura, sculptura; aut scientia, ut rhetorice, philosophia: aut virtutes, ut justitia, fortitudo. Corporeæ res omnes, quæ a natura sunt, partim a natura sua, partim ab usu nostro laudantur. A natura quidem sua laudantur, quum earum species, ordo, proprietatesque commemorantur. Ab usu nostro, quum fructus, commoda, emolumenta, delectationes, quæ ex his percipiuntur, commemoramus. Quod quidem pulcherrime facit Cicero in secundo de natura Deorum, quum mundi universi pulchritudinem, ornatum, usumque describit. Facit multis in locis Plinius, quum vel provincias, vel plantas, vel gemmas, vel alia opera naturæ collaudat. Facit omnium optime, elegantissimeque Virgilius, quum in Georgicis Italiæ laudes describit. Atque in locis quidem consideratur in primis cœlum, clemens, an asperum sit: salubre, an pestilens: calidum, an frigidum: pluvium, an serenum; deinde solum, fœcundum, an sterile: omnium rerum ferax, an aliquarum; vulgarium præterea, an earum, quæ paucis in locis nascuntur; utilium quoque, an noxiarum: situs præterea loci consideretur, montanus, an planus: maritimus, an mediterraneus: portuosus, an importuosus: cui præterea cœli regioni expositus, tum vero qui montes, quæ

quæ ſylvæ, quæ flumina, qui lacus, qui fontes in eo ſint, conſiderantur. Poſtremo quæ urbes, emporia, oppida in ea regione ſint condita, & a quibus habitata. Uſus ſpectatur tum ex his, quæ dictæ ſunt, partibus, tum ex commerciis, tum ex commodis vitæ traducendæ, imperii propagandi, rerumque gerendarum occaſionibus. Voluptas poſtremo, & delectatio commemoratur aucupandi, venandi, piſcandi, tumque non uno modo animum relaxandi. Plantæ, metalla, gemmæ, & cetera ejus generis, tum a ſpecie ipſa, forma, colore, & nitore laudantur, tum ab uſu, qui inde percipitur: ut emendi, vendendique ex auro: ex ferro, belli gerendi: ex plantis, veſcendi: ex gemmis, cetera exornandi, tum vero ex vi quadam, & proprietate naturæ, quæ his in rebus multiplex, admirandaque inſit: quæ noſſe qui cupiet, legat eos, qui de earum rerum natura perſcripſere, ut ex græcis Ariſtotelem, Theophraſtum: ex noſtris Plinium, Albertum Magnum, alioſque permultos. Earum vero rerum, quæ hominum induſtria comparantur, urbes præcipue ſunt; hæ laudantur tum ab his partibus, quæ locis attributæ ſunt: tum a ſpecie, tum figura, ab artificioſis munitionibus, ut foſſis, muris, turribus; ab ædificiis tum publicis, tum privatis: ut viis,

viis, templis, aquæductibus, domibus, eorumque ædificiorum dispositione, atque ordine: tum vero ab antiquitate, conditoribus, alumnis, rebus gestis, imperio, legibus, institutis, exemplis, inventis, artibus, quæ ibi aut inventæ primum sunt, aut floruerunt. Cetera porro ædificia vel ab his omnibus, vel ab aliqua earum parte laudantur: in quibusdam autem utilitas, ut in aquæductu: in quibusdam dignitas, & quasi majestas maxime consideratur, ut in templis. Ceteræ res omnes, quæ artificio constant, partim a materia, partim ab artificio, atque artifice, partim a forma, partim ab usu, partim a raritate, & precio, partim a possessoribus, & dominis commendantur. Ac coporeæ quidem res ita meo judicio tractandæ sunt. Incorporeæ autem res, quæ in laudationem veniunt, aut artes, aut scientiæ, aut virtutes sunt, ut supra diximus. Hæ laudantur, aut ab antiquitate, & inventoribus: aut a subjecto & materia, in qua versantur: aut a dignitate, & spectatoribus: aut ab utilitate, quam humano generi conferunt: cui est nonnunquam adjuncta necessitas: aut a fine, propter quem inventæ ab hominibus, cultæque sunt; has autem singulas partes explicare, quoniam & immensi operis esset, & ad nostram institutionem non pertinet, in præsen-

ſentia non eſt viſum: earum, qui notitiam nullam habebit, neque dicere de his, neque ſcribere quicquam poterit. Laudantur autem non ſolum ii habitus, verum etiam actus, ſive actiones ipſæ, & quædam quaſi profeſſiones, inſtitutioneſque vivendi ab his ductæ, profectæque partibus: ut vita ruſtica, religioſa, ſolitaria, civilis, & quæ ſunt generis ejuſdem. Atque hujus quidem univerſi generis laudandi hæc potiſſimum ratio eſt. Primum, ut vitam ipſam univerſam quanta maxima poſſumus diligentia deſcribamus. Deinde, ut ejus ſingula commoda enumeremus, tum explicemus ea quibus caret, incommoda; deinde contrarium vitæ genus deſcribamus, & utriuſque commoda, & incommoda comparemus; quo loco per omnes partes vagari, eaſque ſingulas cum illa, quam nos laudamus, conferre poterimus, tum exemplo uti licebit eorum, qui id vitæ genus ſecuti ſunt, in eoque præ ceteris floruerunt, tum finem ipſius vitæ collaudabimus, ad eumque omnes ejus partes referemus. Omnis autem non modo deliberatio, ut Quintilianus affirmat, verum etiam laus comparatione mihi maxime contineri videtur. Illa enim ſive res, ſive perſona maxime commendatur, quæ ceteris ſui generis præſtare maxime demonſtratur. Vituperatio vero quo-

quoniam ex contrariis laudationis locis, ut superius diximus, conficitur, non est mihi latius explicanda, nam qui recte laudandi rationem noverit, vituperandi quoque rationem tenebit; humana praeterea ingenia ad vituperationem, quam ad laudem promptiora sunt. Huc accedit, quod singulis virtutibus bina, aut plura vitia opposita sunt, quo facilior vituperandi, quam laudandi ratio est. Ac de universo quidem demonstrativo genere diximus satis. Quod quidem copiosius, quam ceteri scriptores, executi sumus, tum quod aetate nostra vel solum, vel maximum est, in quo latina versetur oratio: tum quod nos scribendi, non dicendi rationem tradimus, quae quidem latissime patet, atque in materia versatur. Postremo illa etiam me ratio movit, quod hoc genus, quasi facillimum, & notissimum veteres magis attigerant, quam tractaverant. Nunc quo pacto haec caussarum genera ad scribendi rationem accommodentur, aperiemus.

De Personis.

CAPUT XI.

IGitur qui ad scribendum accedit, duo illa in primis consideret necesse est, personam, & caussam. Personae omnino duae sunt,

ſunt, ejus qui ſcribit, & ejus ad quem ſcribit. Quoniam autem neque omnes, neque ad omnes ſcribere eodem modo debent (aliter enim ad pares, aliter ad ſuperiores, aliter ad inferiores ſcribimus) perſonarum in primis habenda ratio eſt. Sunt igitur in omni perſona quinque potiſſimum conſideranda: natura, fortuna, ſtudium, dignitas, affectio. In natura conſiderandus eſt ſexus, ut vir, an mulier: ætas, ut puer, an adoleſcens, natu grandior, an ſenex: natio, ut Italus, an Gallus: patria, ut Romanus, an Venetus. In fortuna conſideratur, ut nobilis, an ignobilis: conditio, ut ſervus, an liber: ordo, ut eques, an ſenator: opes, ut dives, an pauper: æſtimatio, ut clarus, an obſcurus: amplitudo, ut potens, an impotens, alicujus auctoritatis, an nullius: ſtatus vitæ, ut pater, an filius, maritus, an cælebs, privatus, an cum poteſtate. In ſtudio conſideratur ars liberalis, ut medicina, pictura, ſculptura, mercatura: an illiberalis, ut ſutoria, inſtitoria, fullonica, lignaria, ferraria, ceteræque ejus generis, quæ recepto græco vocabulo Mechanicæ appellantur. Conſideratur præterea diſciplina: ut philoſophus, an aſtrologus, orator, an cauſſidicus: habitus etiam, & profeſſio quædam, ut religioſus, an popularis, ſive ut græce dicam, laicus, religio-
nis

nis præterea professio, & Ordo non unus: ut Petri, Benedicti, Francisci, Dominici. Dignitas consideratur, sacra, an profana, ut Pontifex, an Rex: perpetua, an ad tempus, ut princeps, an prætor. In affectione consideratur notitia, ut notus, an ignotus: benevolentia, ut amicus, an inimicus: consuetudo, ut hospes, an familiaris: propinquitas, ut civis, an peregrinus: conjunctio, ut cognatus, an affinis: officia, ut bene, an male de nobis meritus. Atque hæc in personis consideranda esse puto. Mutat autem in his scribendi rationem, earum, quas modo nominavimus, partium potissimum comparatio; aliter enim (ut paullo ante dicebam) ad similes, aliter ad dissimiles scribendum est. Igitur si ad eos scribere nos continget, qui omni ex parte similes nobis, paresque sunt, quanquam difficile admodum id quidem videtur, tamen si quando continget, honorifice de illis loquemur, eorumque dignitatem, virtutem, ingenium, judicium nos magni facere ostendemus; ita tamen loquemur, ut nostræ quoque vel ætatis, vel dignitatis rationem habeamus. Si ad eos scribemus, qui nobis aliqua ex parte superiores sint, qua ex parte videbuntur præstare, ei nos plurimum in scribendo tribuemus: etiamsi nos eos ceteris in rebus aut æquare, aut

 su-

ſuperare videamur. Nam ſi ad natu majores ſcribemus, eorum ætati plurimum deferemus præſertim, ſi & aliqua pars adjuncta ſit ex earum genere, quæ honeſtæ ab hominibus, & laudabiles exiſtimantur. Si ad eos ſcribemus, qui nos fortuna, & dignitate multo antecellant, exordio plerunque utemur: & cum in eo, tum in tota epiſtola benevolentiam ſummam captabimus, niſi forte illis valde familiares ſimus. Dabimus autem operam, ut tota epiſtola tum verbis, tum ſententiis gravis, ornataque ſit, eoſque omnibus in rebus nos magnificare oſtendemus. Ita tamen cum illis loquemur, ne nos ipſos contemptos, abjectoſque reddamus, præſertim ſi nos vel ætas, vel nobilitas, vel virtus aliqua commendabit. Ab omni vero non ſolum epiſtola, verum etiam cogitatione noſtra, adulatio, atque aſſentatio in primis abeſſe debet, libero, ut ego quidem ſentio, homine indigna: neque ulla vel temporis, vel perſonæ, vel neceſſitatis ratio apud nos valere tantum debet, ut cuiquam de ipſo mentiamur. Nam tametſi credulos, & ſtultos homines, nec non gloriæ cupidos falſis laudibus decipimus, nos tamen mentiri non debemus. Si vero aliquod de ſe illi judicium, aut ingenium habeant, nos ſtultitiæ, & vanitatis accuſant, qui quod nobis per-

persuasum non sit, aliis persuadere studeamus. Nominare autem quemquam unum in numero multitudinis, qui recta, atque ex antiquo usu scribere volet, etiamsi ad Pontificem, aut Regem scribat, non debebit; vox enim illa si ad alterum referatur, numerum, non dignitatem significat. Nos ita de nobis, ut de pluribus loqui vel dignitatis, vel modestiæ, ac verecundiæ gratia plane licet, ut si laus, aut dignitas ulla est, eam cum aliis communicare: si magistratus est, eum cum aliis gerere videamur. Illa vero epitheta, quibus apud Pontifices, aut alios Principes uti solemus, ut aliquid usui, & temporibus concedamus, tollenda de nostris scriptis esse non arbitror, ne vel omnem penitus loquendi usum tollere, vel eos, ad quos scribimus, qui magna ex parte indocti sunt, contemnere existimemur: quorum alterum imprudentis, alterum superbi posset judicari. Quod si autem eorum res curemus, aut illis aliquo servitutis, vel officii genere astricti sumus, familiarius cum illis per literas loqui licebit præsertim, quum res illis suas domesticas perscribemus; servabimus tamen earum in omni scribendi genere dignitatem. Jocari cum illis per epistolas licere non puto, nisi compertum habeamus, eorum naturam jocis, & salibus maxime delectari, existimemusque

que per eos nos, aut illorum gratiam inituros, aut facilius ab illis, quod volumus, impetraturos. Quod si quando utilitatis ratio exiget, ut faciamus, verecunde admodum, & graviter faciendum erit, ut & illis gratificemur, & nostram dignitatem retineamus. Si vero nobis ad incognitos homines aliqua de caussà scribendum erit, tametsi quo pacto scripturi sumus, ipsa nos caussa nostra facile admonebit: (neque enim ad eumdem eodem semper modo scribendum est) dabimus tamen operam, ut quam maximam possumus a persona nostra benevolentiam contrahamus, eisque nostrarum literarum caussam aut necessariam, aut honestam, aut utilem esse, quantum possumus, ostendamus, ad eosque aliquid ejus vel necessitatis, vel emolumenti, vel gloriæ pertinere, demonstremus. Docilem vero in primis, attentumque reddemus, nostræ tum caussæ, tum personæ significatione; tota vero epistola gravis, & accurata sit, ut & ille se etiam in scribendo magni fieri putet, & nos apud eum opinionem nostri quam maximam comparemus. Quum autem ad inferiores scribemus, magna tum sexus, tum ætatis habenda ratio erit, ut non quid nos possimus scribere, sed quid eorum vel sexus, vel ætas possit intelligere, putemus. Quid præterea vel sexui mulie-

liebri, vel juvenili ætati conveniat, magnopere considerandum: eritque id prudentiæ nostræ, ad unumquemque pro ætate, pro dignitate, pro doctrina, pro materia scribere. Si ipsi in magistratu, vel dignitate aliqua constituti erimus, ita scribemus, ut neque dignitatis, neque humanitatis obliti videamur: quorum alterum humilis, alterum superbi animi existimari posset. Si autem nos aut reipublicæ, aut principis, aut alieno denique nomine scribere oportebit; qua in re totus scribarum ordo, qui maximus, & honestissimus est, assidue versatur: dabimus operam, ut ejus, pro quo scribimus, tum naturam, tum dignitatem, quam notissimam habeamus: ejusque personam, quantum possumus, induamus: ad ejusque naturam, gravitatem, ætatem, dignitatem, officium, orationem nostram omnem accommodemus: reipublicæ in primis gravitatem, & personam induamus, ejusque instituta, mores, consuetudines omnes, in scribendo servemus. Illud, ad quemcunque scribamus, in primis meminerimus, propterea nos scribere, ut legamur, atque intelligamur. Quod si vel longiores, vel obscuriores erimus, quam ejus, ad quem scribimus, sive natura, sive occupatio, sive doctrina postulabit, neutrum assequemur: ex quo fiet, & ut operam

omnem in ſcribendo amittamus, & ab illis tum odio, tum contemptui habeamur. Quapropter orationem noſtram, quantum licebit, ad eorum, qui lecturi ſunt, voluntatem, doctrinamque accommodabimus. Atque hæc circa perſonas conſervanda eſſe cenſeo; nunc ad res ipſas tranſeamus.

De Generibus Epiſtolarum.

CAPUT XII.

OMnis autem ſcribendæ epiſtolæ materia a fine deducitur, qui actionum noſtrarum omnium dux, & moderator eſt. Is, ut in ſuperiori volumine diximus, duplex eſſe poteſt, docendi, & movendi; abſentes enim aut doceamus, aut moveamus neceſſe eſt. Alia enim ſcribendi cauſſa, quod ego quidem ſciam, eſſe poteſt nulla: ideoque epiſtolarum omnino genera duo fecimus: unum, quod ad docendos, alterum, quod ad movendos abſentes, ſit inventum. Quoniam autem quum docemus, aut res divinas, mores, virtutes, diſciplinaſque, aut negotia vitæ civilis, actioneſque tractamus: illud potiſſimum in duo genera partiti ſumus, ſtudioſum, ſeu contemplativum, & activum, ſive negocioſum: ac ſtudioſum quidem in duo genera rur-

rursus divisimus: divinum, & morale, quod dilucidandæ rei gratia appellare aliter non possumus. Activum quoniam multiplex erat, certa in genera non divisimus, ne lectorum animos multiplici partitione confunderemus. Movendi vero genus in duo item genera distribuimus, concitativum, & remissivum; affectus enim omnes aut concitamus in absentium animis, aut lenimus, remittimusque. Horum generum species innumerabiles, atque infinitæ sunt: quas quidem persequi velle & infinitum, & supervacuum esset. Nos eas, quæ maxime insignes, & necessariæ videbuntur, tantùm persequemur: ceteras, quarum neque inventio difficilis erit, neque tractatio ab his multum abhorrebit, scribentium ingeniis excogitandas, tractandasque relinquemus.

De divino, & morali genere Epistolarum.

CAPUT XIII.

AC duo quidem illa superiora epistolarum genera, in quæ studiosum illud genus partiti sumus, quorum alterum in rerum divinarum descriptione, alterum in morum, ac disciplinarum præceptis positum esse diximus, quanquam minus ne-

cessaria nostræ institutioni fortasse videantur, (nam & eorum tractatio aliarum disciplinarum propria est: & scribere de his, qui volet, majorem eruditionem habeat necesse est, quam ut ei in dictanda epistola elaborandum sit) tamen omittenda penitus esse non censui, vel ob id maxime, ut qui illis disciplinis instituti non essent, quum rei difficultatem intelligerent, scribere de his quicquam non auderent. Igitur scribere per epistolam aliquid sive de divinis rebus, sive de liberalibus disciplinis qui volet, ante omnia ejus, de qua scribere volet, disciplinæ, summam habeat cognitionem necesse est: neque ab aliis petat, quod ipse alios docere vult, nam si positionem aliquam vel male intellexerit, vel non suis verbis expresserit, vel oblitus aliqua ex parte fuerit, e vestigio & res tota labefactabitur, ac corruet, & ipse suam tum imprudentiam, tum ignorantiam indicabit. Neque vero eam tantum, quam tractabit, quæstionem tenere satis erit, sed universæ quoque disciplinæ fundamenta, & vocabula teneat necesse est; nam & probetur unumquodque per suæ disciplinæ principia, suasque in caussas, atque elementa resolvatur; & propriis ejus disciplinæ, peculiaribusque vocabulis explicetur, necesse est: quæ qui ignorat, neque efficit quod vult, & disci-

pli-

plinas ipsas confundit . Res itaque primum, deinde verba ejus disciplinæ recte teneat, qui tractare volet, quod suæ professionis non sit: deinde ita tractet, ut ad quos scribat, meminerit; aliter enim quum ad doctos, aliter quum ad indoctos scribimus, res universa tractanda est. Videndum est etiam, ut ea, quæ traduntur, certo ordine, ac ratione tradantur; nam & legentibus jucunda sunt, & discentibus faciliora. Præcepta vero quanta maxima tradi possunt facilitate, tradenda, ne laboret intelligendo, qui ea servaturus est. Ne vero fastidium frequentia ipsa moveat præceptorum, in angustum contrahenda, & quasi inculcanda non sunt. Exemplis autem crebris utendum; ea enim, quam præcepta magis movent. Neque veteribus tantum, quæ incredibilia videntur, sed novis quoque, recentibusque utendum; ea enim faciliora nobis existimamus, quæ ab aliis nostra ætate facta cognoscimus. Habet autem utrumque hoc genus cum in principio ea, quæ lectores attentos reddere solent, tum in tota epistola digressiones quasdam, quibus animi recreari, & quasi renovari ad legendum possint præsertim, si longior epistola futura sit; nam quum ipsa perdifficilis, severaque sit, habeat extrinsecus aliquid necesse est, quod ad legendum animos alliciat,

ciat, & pene attrahat. In hoc autem universo genere leviſſima, ac facillima ſint, quæ de moribus diſputant; nam & latiſſime patent, atque ad omnes pertinent, & liberius tractari poſſunt, quippe quæ verbis conſtent uſitatioribus, campumque habeant ampliorem: in his tamen ſuperior etiam ſervanda ratio eſt. Ac de duobus quidem illis generibus ſatis in præſentia dictum ſit: quæ quoniam, & ad alias magis diſciplinas pertinebant, & præceptionem communem habebant, conjuncte mihi tractanda eſſe cenſui. Nunc ad alia ſingillatim genera deſcendemus.

De negocioſo, ſive activo Epiſtolarum genere.

CAPUT XIV.

Sequitur id genus, quod in negociis poſitum eſſe diximus, quod vel activum, vel negocioſum appellari licet. Id in duo potiſſimum tempora diſtribuitur: præteritum, & futurum; nam præſentia ita tractantur, ut partim præteritis, partim futuris conjuncta ſint. In præterito quidem tempore negocia omnia ita quidem tractamus, ut aut quemadmodum geſta ſunt, narremus, aut laudemus, aut vituperemus; aut de his gratias agamus, aut gratulemur; aut

aut in his aliquid accusemus, aut defendamus, sive excusemus. In futuro res aut certas, aut incertas scribimus. Certas quidem aut imperamus, aut suademus, aut dissuademus, aut commendamus, aut petimus, aut quæ his contraria sunt, facimus. Incertas vero aut deliberamus, aut optamus, aut prædicamus, aut conjectura opinamur: aut id, quod utrisque commune est, in his consilium damus: quod tametsi ad suasionem, & dissuasionem referri potest, separatim tamen tractandum nobis visum est. Atque hæ sunt (ut mihi quidem videtur) hujus generis præcipuæ species. Si quæ præterea sunt, aut his adjungi possunt, aut ab his non sane multum discrepant. Nos has potissimum repetentes singillatim tractemus, & quæ unicuique præcepta conveniunt paucis explicemus.

De Epistola narrativa.

CAPUT XV.

IGitur quum negocium aliquod per epistolam narrandum est, ante omnia cur id narretur, considerare debemus: ut fine perspecto, ad eum omnis nostra narratio dirigatur. Nam si ex ea cognitio tantum rei, & notitia quæritur, ita res primum proponen-

nenda eſt, lectoriſque animus in expectationem adducendus, ut ſi id petierit ad ſe perſcribi, ſciat nos ſibi diligenter, accurateque ſatis facere: ſi non petierit, nos cupidum rei cognoſcendæ faciamus, ut intelligat nos etiam abſentes ea, quæ ſcire is velle debeat, ultro cogitare, atque afferre; deinde ita narranda res eſt, ut nihil omittamus de iis, quæ legenti aut cognitionem, aut delectationem poſſint afferre. Neque cum ipſa narratione finienda epiſtola eſt, ne inanis, & fruſtra ſuſcepta narratio videatur: ſed aut ejus cauſſa breviter exponenda eſt, aut ad aliquam vitæ partem accommodanda, aut invicem aliquid ab eo, ad quem ſcripſimus, exigendum. Si delectationis cauſſa narratio ſuſcepta ſit, & omnia, quæ id facere poſſunt, exequenda ſunt, & lectoris animus nunc rerum varietate, nunc jucundis digreſſionibus detinendus eſt. Omnia vero lepidius, urbaniuſque narranda. Claudenda vero epiſtola vel aliqua jucunda, acutaque ſententia; vel ſimilium nunc rerum pollicitatione, nunc expectatione. Si noſtræ, vel amicorum res domeſticæ, familiareſque narrentur, ſimplicem, nudamque narrationem, ſermonique ſimillimam eſſe oportet Nuſquam liberior, ac ſolutior epiſtola eſt. Licet exordium vel adhibere, vel omittere: li-

licet plura negocia nullo ſervato ordine narrare: licet ab uno in aliud, quod longe volumus, digredi, atque ad idem ſæpius reverti: licet ſeria jocis, jocos ſeriis immiſcere. Sermo familiaris, & quotidianus eſſe debet. Finem epiſtolæ finis negociorum affert: neque epilogis, aut tranſitionibus, aut occupationibus, aut ullo genere artificii opus eſt. Denique ſummum artificium in hoc genere eſt, ut nullo artificio utamur: ut extemporalis epiſtola non excogitata videatur. Quod tametſi tabellarius ultro exigentibus fieri neceſſe eſt, tamen etiamſi nulla nos aut temporis, aut hominis neceſſitas cogeret eſſet illa in ſtylo extemporalitas effingenda. Qua de re non defuerunt, qui dicerent epiſtolam redolere incuriam quamdam, & negligentiam oportere. Si vero partim geſta, partim gerenda negocia exponemus, ita narrabimus, quæ geſta erunt, ut ex iis facile, quæ gerenda erunt, intelligantur ita, ut non ſolum præterita, & præſentia exponamus, ſed futura etiam conjecturis quodammodo ſignificemus: tum quid vel ipſi ab amico petamus, vel illi faciendum arbitremur, paucis aperiamus; quid in quaque re aut boni, aut mali ſit breviter declaremus. Poſtremo, quæ in noſtra libertate ſunt, liberaliter polliceamur.

mur. Atque his potissimum rationibus, quum exponenda erunt negocia, exponemus.

De laudandi, & vituperandi genere.

CAPUT XVI.

PRoxima est laudandi, & vituperandi ratio. Ea quoniam ex iisdem partibus sumitur, locis tantum in contrariam partem commutatis: ut supra fecimus, a nobis conjunctim tractabitur. Igitur quum hæc omnis ratio in res, atque personas conferatur, duo in primis consideranda sunt, quum laudamus, utrum eum, ad quem scribimus, an alium quempiam, & qua de caussa, utrum commendandi, an gratias agendi, an aliquid impetrandi, an homines conciliandi gratia; plurimum enim refert tum persona, tum caussa. Eadem in vituperando sequenda est ratio; aliter enim eum ipsum, ad quem scribimus, vituperamus, aliter de alio ad eum scribimus. Multæ item sunt vituperandi caussæ, ut maledictis respondeamus, ut injurias ulciscamur, ut vitia detestemur: aliæque permultæ, quarum in scribendo delectus habendus est. Igitur si eum ipsum, ad quem scribimus, laudare constituerimus, sive id hominis con-

conciliandi, sive aliquid impetrandi, sive ut hodie fit, volumen aliquod dedicandi gratia faciamus, principium aliunde sumemus: dabimusque operam, ne ille propter ea nos scribere credat, ut laudemus. Nihil enim (ut mihi quidem videtur) absurdius, atque oratoris officio alienius, quam quum nos tantum laudandi gratia vel dicere, vel scribere profitemur. Assentatores enim e vestigio, non laudatores existimamur: nostraque scripta levissima ab omnibus, & vanissima judicantur, quippe quæ placendi studio conficta, nihil veri, rectique continent. Hoc vitium effugere qui volet (omnes autem velle debemus) dabit operam, ut per insinuationem, ejus, ad quem scribit laudes ingrediatur; id autem commodissime faciet, si ab alterius egregie factis, aut dictis incipiat: item si ab aliqua sententia, quæ nos ad virtutis admirationem, investigationem, testificationemque excitet, principium sumat: item si dicat, se admiratione quadam, & splendore illius commotum contemplari ea, non laudare velle, magisque, ut alii cognoscant, atque imitentur, quam, ut ille res suas legat, ea scribere. Neque vero placet illud, quod est in tertio libro ad Herennium scriptum, ut dicamus id nos ex officio facere, quod caussa necessitudinis intercedat. Officium enim di-

dictis in utramque partem omnibus fidem, & auctoritatem detrahit. Nam si laudamus, vel amori, vel meritis id tribuere existimamur: si vituperamus, vel odii, vel injuriæ gratia facere id credimur. Immo in utramque partem omnis, meo judicio, tollenda suspicio est: dandaque opera, ut aliorum, non nostra caussa laudare quempiam, aut vituperare videamur. Aristoteles in demonstrativa caussa, libera maxime principia esse censet ita, ut etiam a rebus a caussa remotissimis exordiri liceat, quemadmodum Sallustius apud nos fecit in Catilinarii, & Jugurthini belli principio. Id ego in dicendo non probo; in scribendo probo præsertim, si recte, & per quosdam quasi gradus ad caussam descendamus, ut sequi ea, quæ dicimus, non trahi, conjunctaque esse inter se, non consulta videantur. Laus enim omnis vel admirationis, vel testificationis vim habeat, neque aperta propositione proponatur, necesse est: ne scribere ea tantum de caussa videamur, nec venisse in eam mentionem, sed incidisse existimemur. Laudandi vero ratio ex superiori præceptione petetur, ita tamen, ut non omnia, sed clarissima quæque, & ad caussam nostram accommodatissima, nobis sciamus esse deligenda. Digressionibus tam in laude, quam in vituperatione crebris ute-

utemur, ut & jucundior laus sit sæpe repetita, & aliud agere videatur oratio. Amplificationibus item utemur per eos, quos in superiore libro docui, locos communes. Hæ multum valent etiam ad eas, quas scribimus, sive laudes, sive vituperationes augendas, & ad legentium animos incitandos. Conclusionibus brevibus, & ad nostram caussam accommodatis utemur: epilogis raris, ac brevibus, ut scribi epistola, non haberi oratio videatur. Et quoniam unicuique laudandi finis præpositus esse debet (neque enim ut laudemus, nos tantum ad scribendum adduci convenit) dabimus operam summo studio, ut omnes laudes, omnia dicta, epistolam denique universam ad eum quem proposuimus finem accommodemus: eo nostras argumentationes, tanquam ad signum aliquod dirigemus. Eadem omnia vituperatione spectanda sunt. Caussa vero ejus rei, quoad fieri poterit, necessaria afferenda, atque in hominum animis fundamenta tum caussæ, tum benevolentiæ firmissima jacienda, ne qua de re nobis suspicio exoriri possit, quod ad ea perscribenda vel ira, vel odio, vel invidia, vel malevolentia adducti simus: eoque magis id vitandum est, quod omnis per se odiosa vituperatio est. Vituperandi autem ratio ex laudis præceptione sumetur, locis,

ut diximus, commutatis, virtutibuſque in finitima vitia detortis: quæ quidem præceptio quoniam per ſe facillima eſt (omnes enim ad vituperandum, quam ad laudandum ingenioſiores ſumus: & non in virtutibus, quam in vitiis oſtendendis exerceri malumus) proſequenda latius viſa non eſt. Illud in utraque ratione præcipiendum, ut nihil impoſſibile, nihil incredibile, nihil non verum, aut certe vero quam ſimillimum, proximumque dicamus: ne aſſentatores, ſi laudemus: ſi vituperemus, hoſtes, aut maledici videamur. Si laudare extraneam perſonam apud amicum velimus, 68v tunc licebit ab officio noſtro principium ſumere, & cauſſis neceſſitudinis, ſi quæ nobis cum illo interceſſerint, commemorare. Sunt autem cauſſæ neceſſitudinis, amor, beneficium, honor, cognatio, affinitas, vicinitas, patria, hoſpitalitas: item illa morum, ſtudiorumque ſimilitudo, præſertim bonorum. Quæ ſi aderunt, in principio commemorabimus: ſi non aderunt, dicemus nos ſtudio virtutis, quo præcipue teneamur, vel nobilitatis, vel miſerationis, vel pietatis, vel alia honeſta, ac probabili ratione, ad eum laudandum, ſive ornandum, ſive juvandum eſſe adductos: petemuſque ab amico, ut inſignem virum tum cognoſcere, tum comple-

plecti velit: ejusque rei fructum illi aliquem vel studii, vel benevolentiæ, vel fidei, vel gloriæ, vel utilitatis, vel saltem conscientiæ pollicebimur. Quæ quidem omnia ad commendatitias epistolas plurimum valebunt. Si vero rem quampiam laudabimus, ut artem, disciplinam, professionem, virtutem: danda opera erit, ne modo id studio, quod ea nos maxime res delectet, facere videamur: sed si ea res amicum delectet, nos ejus delectationi inservire ostendemus: si non delectet, dignam nos putasse rem dicemus, qua ejus animus delectetur: paulatimque ejus fructus, atque utilitates commemorabimus. Ingressi vero materiam, ejus tractandæ rationem ex iis, quæ supra scripsimus, repetemus. Finem ejus convenit esse, ut eam rem vel amemus, vel capessamus, vel frequentemus, vel certe in precio, atque honore habeamus. Ad eum rationes nostras omnes, argumentationesque conferemus: idque exemplorum in primis tum copia, tum claritate confirmabimus. Eadem in artis, aut vitii alicujus vituperatione, atque execratione sequenda ratio erit, ut ejus rei tractationem non ejus, ad quem scribimus, gratia suscepisse videamur: quod omnium odio, ac detestatione dignam judicemus, eam deinde iis rationibus, qui-

bus ſupra laudandam eſſe docuimus, deteſtabimur: ejus damna, detrimenta, incommoda, ignominiam, labem, & perniciem proferemus: quantum deinde hominibus ſemper nocuerit, quanto in odio ſemper habita fuerit, plurimis exemplis oſtendemus. Atque hæc potiſſimum in laudandi, & vituperandi genere ſervanda eſſe judicavimus.

De gratiarum actione.

CAPUT XVII.

LAudi vero tum gratiarum actio, tum gratulatio finitima, & pene conjuncta eſt; utraque enim magna ex parte laudem continet. Et gratiarum quidem actio, tametſi non eodem ſemper modo tractatur, habet tamen ſemper, tum accepti beneficii teſtificationem, amplificationemque, tum aliquam ſeu verborum, ſeu animi, ſeu rerum remunerationem. Beneficium quidem aut a dantis, aut a recipientis perſona, aut a re ipſa laudabimus. A dantis perſona laudabimus beneficium, ſi oſtendemus illum non rogatum, non coactum, non debentem, ſed ultro, libenter, liberaliterque contuliſſe. Hoc loco eum a magnificentia, & animi magnitudine laudare poterimus.

Si

Si rogatus fuerit, dicere poterimus eum citius ſpe, atque opinione feciſſe, aut etiam plus, quam rogatus fuerit, dediſſe: ejus præterea in re præſtanda ſedulitatem, fidem, ſtudium, laborem, induſtriam, operam, diligentiam, benevolentiam, aut horum aliquid commendabimus. Plus etiam illum, quam pollicitus fuerit, præſtitiſſe: aut plus, quam fuerit opus, oneris, & laboris noſtra cauſſa ſuſcepiſſe dicemus. Si vero noſtris beneficiis provocatus, gratiam retulerit, dicemus eum vel plus, quam acceperit, vel melius, vel majus, vel celerius, quam debuerit, reddidiſſe. A noſtra perſona beneficium laudabimus, ſi neceſſitatem noſtram, aut calamitatem proferemus: ſi partes, quas ab animo, vel a natura, vel a fortuna habemus, modeſte, ac verecunde commemorabimus: eaſque dicemus ſine illo beneficio nos aut retinere, aut ſervare, aut exercere non potuiſſe. Item ſi nos ei vel affinitate, vel cognatione, vel patria, vel amicitia, vel ordine, vel ſtudio, vel profeſſione, vel moribus, vel alia hujuſmodi re, quæ adducere hominem ad beneficium in nos collocandum potuerit, conjunctos eſſe dicemus. A re ipſa beneficium laudabimus, ſi magnum, ſi inſigne, ſi inſperatum, ſi incredibile, ſi perpetuum, ſi utile, ſi honeſtum, ſi laudabi-

le, ſi opportunum, ſi denique jucundum nobis, & gratum tum tempore, tum loco fuiſſe, oſtendemus. Mercedem vero pollicebimur, ſive in eadem, ſive in majore; nunquam in minore, niſi forte aut rerum numerus, aut indignitas, aut labor beneficium augeat. Si facultas referendæ gratiæ non erit, nos, noſtraque illi perpetuo debere oſtendemus, animum præterea, & voluntatem noſtram erga illum optimam aperiemus. Eum nos animum ſi oſtendere aliter non poſſumus, dicemus nos ejus beneficiis, & laudibus prædicandis omni loco, omni tempore, omnibus hominibus oſtenſuros, eoque pacto beneficia ejus cumulatiora, illuſtrioraque reddituros. Neque ab re interdum fuerit, hujus gratiæ relationem ad Deum bonorum omnium largitorem, remuneratoremque rejicere, ut ipſe, qui ſolus & poteſt, & ſolet, meritis illius præmia digna reſtituat. Atque hoc pro perſonarum, quibus gratiæ agentur, qualitate faciendum erit.



De Gratulatione.

CAPUT XVIII.

GRatulatio quoque non eſt a laudandi ratione disjuncta. Nam & rem, de qua gratulamur, & perſonam cui gratulamur, laudemus neceſſe eſt: neque hæc eadem ſemper ratione tractanda eſt. Nam & ſola epiſtolam ſeparatim facit, & cum aliis negociis ſæpe conjungitur. Item aliter amico, aliter principi, aliter in re magna, aliter in parva gratulamur. Servare tamen hæc plerunque debemus, primum, ut lætitiam noſtram, & ampliſſimis verbis explicemus, & veram, ſolidamque eſſe optimis rationibus doceamus, deinde ut rem, de qua gratulamur, collaudemus: oſtendamuſque ſi res magna ſit, dignam ea re fuiſſe perſonam: neque aliam, cui tantopere res ea conveniret, facile inventum iri: neque minus rei, quam perſonæ fuiſſe proſpectum. Si parva res ſit, dicemus eum quidem multo majora, atque ampliora meruiſſe, ſed hunc ad cetera quemdam quaſi gradum, atque aditum eſſe. Si reſtitutio vel fortunæ, vel dignitatis ſit, non tam amiſſio deploranda (quanquam poſſit ea culpa, vel in homines, vel in tempora, vel

in fortunam, vel in casum aliquem jure conferri) quam restitutio laudibus, & lætitia prosequendi, quod ejus virtutis, dignitatis, nobilitatis, salutis habita tandem ratio sit; lætitiam vero nostram, aut a spe confirmabimus, quod de illo sperasse tum nos, tum alios multos ante dicamus; aut ab insperato augebimus, quod rem tantam, tam cito, tam prospere succedere potuisse, tum ob rerum, temporumque difficultatem, tum ob perversitatem hominum, nunquam putaverimus. Quo loco ejus virtutem, diligentiam, industriam, laudabimus; optabimus deinde illi, vel ei rei, quam adeptus est, conservationem: tum ceterarum, aut similium, aut majorum accessionem. Si magistratus fuerit, tum ad illius rectam, integramque administrationem cohortabimur, si modo dignitas personæ patietur: sin major erit persona, quam ut eam amice cohortari, atque monere possimus, scire nos dicemus, eum se optime, atque integerrime, & ut in ceteris solet, in eo magistratu gesturum: magnamque ex eo vel fidei, vel industriæ, vel diligentiæ, vel integritatis laudem reportaturum; dabimusque operam, ut quæ facere debet, ea nos facturum esse eum dicamus. Si vero is sit, quemadmodum possimus, eum fideliter, amiceque, quo pacto se gerere oporteat,

ad-

admonebimus, dicemusque ejus rei, vel gloriam, vel ignominiam non minus ad nos, quam ad illum, pro nostra amicitia pertinere. Hæc (ut dixi) sunt pro rerum, & personarum qualitate servanda. Apud amicum enim brevius, & familiarius, imo etiam levius tractanda sunt: dandaque opera, ut nihil fictum, nihil fucatum, excogitatumque nihil appareat, sed ut vere nos gratulari, amiceque intelligat. Apud principem omnia gravius, uberius, artificiosiusque agenda, ut se magnifieri a nobis, colique cognoscat. Illud tamen in primis observandum, ut vel vera gratulatio nostra, vel ab omni certe assentationis suspicione aliena videatur. Sed de his hactenus.

De accusandi genere.

CAPUT XIX.

Sequitur ex iis, quæ ad præteritum tempus pertinent, accusandi genus, quod multas in species distribuitur: quas quidem ut complecti facilius, atque explicare possimus, tria potissimum considerabimus, caussam, personam, actionem. Caussa in crimen, injuriam, vitiumque dividitur. Quicunque enim a nobis accusandùs est, aut deliquerit, aut offenderit, aut erraverit,

rit, neceſſe eſt; aliud enim, quod ego quidem ſciam, accuſationi ſubjectum eſſe non poteſt. Perſona vero duplex eſt, rei, & judicis: quæ nunc eadem eſt, nunc diverſa; aut enim eum ipſum, ad quem ſcribimus, accuſamus, & ſuæ cauſſæ quaſi judicem conſtituimus: aut alium apud alium accuſamus. Actio quoque ſpecies complures habet; aut enim quaſi apud judicem accuſamus, aut quaſi apud amicum expoſtulamus, aut de injuria nobis illata conquerimur: quod etiam pro rerum, perſonarumque qualitate diverſis modis facimus. Jam vero ſubditos per literas objurgamus, increpamus, monemus: quæ quidem omnia pro cauſſæ, & perſonæ qualitate, non una ratione tractantur. Namque (ut de cauſſa primum dicamus) ſi leve, & tolerabile crimen erit, quale eſt intermiſiſſe ſcribendi officium; amicitiæ conſuetudinem, aut leges non ſervaſſe, non reſpondiſſe amori, aut literis noſtris, & quæ ſimilia ſunt: primum cum admiratione quadam id crimen explicabimus, deinde per confutationem omnes ei excuſationes auferemus: tum crimen ipſum augebimus, noſque id magnifacere oſtendemus: nihil deinde a nobis tale commiſſum eſſe demonſtrabimus, noſtrumque officium cum illius officio comparabimus. Quum autem illum,

quaſi

quasi convictum nostris argumentis, rationibusque tenebimus, illum quasi condemnantes multabimus jucundissima multa officii in posterum duplicandi, consuetudinisque cumulatius resarciendæ. Si gravius crimen erit, cujus accusare amicum statuerimus, quale esset perfidiæ, doli, insidiarum, cujus rei ad nos injuria pertineat, primum a nostro in eum amore, nostrisque meritis initium capiemus: nostram in eum fidem, studium, benevolentiam, integritatemque commemorabimus: nullamque illi perpetrandi criminis caussam fuisse ostendemus: deinde crimen ab eo commissum esse docebimus. Et quum diu illud auxerimus, tum qua de caussa commissum, investigabimus: caussisque omnibus confutatis, quæ illum quoquo modo compellere possent ad faciendum, aut nullam, aut turpissimam, minimeque ejus dignitati convenientem illi caussam fuisse ostendemus, tum quali pœna dignum sit crimen, inquiremus: atque illum, quasi caussæ judicem statuentes, quæremus ab eo, quid ipse de alio judicaturus fuerit, quo supplicio dignum existimaturus, qua in eum clementia usurus. Quod si servare amicum statuerimus, quam id sit ab amicitiæ legibus, & sanctitate alienum, ostendemus: dicemus tamen nos illi libenter ignoscere, modo

ve-

velit in poſterum abſtinere. Atque hoc loco illum liberius monere, & ſi perſonæ qualitas patietur, etiam objurgare poterimus. Poſtremo cum amicitiæ quadam quaſi inſtauratione epiſtolam concludemus. Si crimen ad nos non pertinebit, quum diu illud auxerimus, deteſtatique fuerimus, ſatis erit pro noſtra amicitia amicum, ut in poſterum abſtineat, admonere: eique infamiam, pericula, pœnas, ceteraque quæ ad deterrendum hominem valent, amice, ſevereque proponere. Si vero alterius crimen apud principem, vel apud aliquem, qui judicandi de illo jus habeat, deferemus, exordium ab ingenti benevolentiæ captatione ſumemus; eam tum a noſtra, tum illius, ad quem ſcribimus, perſona captabimus: id quomodo faciendum ſit, ex ſuperiore libro repetemus. Deinde ad cauſſam pedetentim accedentes ſuſpicionem odii, maledicentiæ, invidiæ, calumniæque omnem a nobis removebimus: imo, ſi poterimus, amicitiam inter nos intercedere dicemus, officiaque ultro, citroque collata commemorabimus. His jactis fundamentis, crimen narrabimus: tum pro conſtitutionis genere, cauſſam noſtram argumentis, rationibuſque confirmabimus, confutabimuſque ea, quæ contra aut dicta eſſent, aut dici potuiſſent, deinde petemus ab eo, ad quem ſcribe-

be-

bemus, ut hac de re judicium faciat: neque inultum, aut impunitum tantum ſcelus, patiatur: tum quid futurum ſit, ſi hoc impune facere liceret, oſtendemus, remque per omnes locos amplificabimus. Concluſionibus ad finem, quem nos propoſuerimus, accommodatis utemur. Nam ſi ea de re judicium futurum ſit, epilogo utemur: cauſſaque confirmata, exaggeratoque crimine, quid de ea judicii fieri oporteat oſtendemus: idque ut fiat, rogabimus. Si de ea judicium futurum non ſit, crimen ipſum atrocibus verbis deteſtabimur: &
74 cum tempore, querela, & hominum perverſitate, aut aliqua utili ad bene, beateque vivendum ſententia concludemus epiſtolam. Atque hæc quidem cauſſa quo pacto tractari debeat, quoniam ſatis, abundeque ſuperius a nobis dictum eſt, quæ hic conveniunt, inde repetantur.

De injuriarum, vitiorumque accuſatione.

CAPUT XX.

SI apud amicum de injuria expoſtulabimus, initium capiemus a noſtræ amicitiæ antiquitate, ſtabilitate, magnitudine, conjunctione: item a noſtris in eum officiis, ſtudiis, a noſtra optima, conſtantique volun-

luntate; aut si hic nos vel ætate, vel dignitate anteibit, a nostra in eum observantia, perpetuaque voluntate ordiemur: quamque sit vel indecorum, vel turpe, amicum immerito offendere, ostendemus; deinde injuriam acceptam indigne, atrociterque explicabimus: atque ab eo ipso profectam esse docebimus. Duplex inde agendi ratio est. Nam si amicum gravius accusare statuerimus, ostendemus illum tantum gratia offendendi fecisse, quod fecerit, sive ut nobis aperte noceret: quod inimici, non amici animi est: sive ut ipse ex ea re commodum aliquod consequeretur. Quarum rerum utramque ab amicitiæ legibus, atque officiis alienissimam esse demonstrabimus: atque ad alterutram, sive utramque rem comprobandam vim argumentorum omnem conferemns. Quod si is in officio velit permanere, quo pacto nobis satisfacere possit, interrogabimus, idque nos maxime expectare dicemus. Sin aliqua ex parte amicum accusare statuerimus, caussam illius injuriæ, caussis multis allatis, confutatisque, ignorare nos omnino dicemus: neque tamen existimare nos, illum nostri offendendi gratia, ut id faceret, adductum esse, quod esset, & ab ejus natura, consuetudine, humanitate, & a nostra amicitia, observantia, meritis penitus alienum.

num. Expectare autem nos magnopere dicemus, ut quoquo modo, & suæ dignitati, & nostræ amicitiæ satisfaciat. Quod si is nos ætate, ac dignitate antecedet, quam indignum sit juniorem a seniori, a potente impotentem, ab opulento inopem, a majore denique minorem offendi, decipi, vexarique per locum communem ostendemus; tum nostram ætatem, impotentiam, inopiam, imbecillitatem cum illius ætate, potentia, opibus, & robore comparabimus: deinde nostram erga omnes innocentiam, mansuetudinem, clementiam, benignitatemque ostendemus: quamque indigne nobis, & præter spem, atque opinionem accidat, conqueremur. Hic quum locis communibus ad commovendam misericordiam usi fuerimus, rogabimus hominem, ut si prodesse aut non vult, aut non potest, nocere certe non velit. Si vitiosum aliquem reprehendere, aut accusare statuerimus, quoniam id fere a superiori in inferiorem proficisci solet, vel monendo, vel objurgando faciendum erit. Ab hoc tamen posteriori semper abstinendum, quum superiori uti licet: quum res gravior est, quam ut superius illud satis esse possit, ad posterius confugiendum est. Quum monere aliquem statuerimus, primum ostendere oportebit, nos eam rem, de qua agitur, pro-

probe ſcire, ne ille ſecurius ſe excuſet, quod a nobis ignorari putet: deinde ejus rei admonitionem ad nos potiſſimum pertinere vel ætatis, vel amicitiæ, vel ſanguinis, vel aliqua juſta ejus generis ratione, tum rem ipſam, uti geſta eſt, atrocius etiam, atque indignius, quam geſta eſt, exponemus. Deinde interrogabimus eum, num ita res ſe habeat: num ipſe ejus rei auctor fuerit: num recte fecerit: num, quum id faceret, conſilium, prudentiam, aut judicium adhibuerit: num ſuæ, vel ætatis, vel nobilitatis, vel dignitatis, vel ſalutis rationem ullam habuerit. Quum autem videbitur his verbis eſſe commotus, tunc admonitio ſequi debebit: ea ſevera, gravis, recta, fidelis, & paterni, aut fraterni affectus plena ſit neceſſe eſt, quæ pœnitentiam, aut pudorem facti afferat, deſperationem nequaquam: neque minus incitet ad futurorum cupiditatem, ac ſpem, quam ad dolorem, & pœnitentiam præteritorum. Admonebimus autem tum a perſona, tum a cauſſa: a perſona, quum oſtendemus eum feciſſe rem indignam ſuis majoribus, ſua cognatione, patria, aut ſi nihil horum habeat, ſua ætate, noſtra conſuetudine, profeſſione, amicitia eorum, quibus cum vivat. A cauſſa admonebimus, quum ipſius rei per ſe indignitatem, fœditatem, abjectio-

ctionem, vitiaque oſtendemus: quantumque abſit a virtute, & recte facti ratione, atque honeſtate, docebimus: tum quid eum feciſſe oportuerit, & quanto id facilius, honeſtius, ac laudabilius futurum, oſtendemus: eumque in poſterum ab eo vitio deterrebimus, atque ad virtutem, & bene vivendi rationem cohortabimur. Si objurgabimus aliquem ab iiſdem fere locis perſonam commovebimus, remque exaggerabimus, ſed atrocius, atque iratius agemus: anteactam illi vitam cum exprobratione commemorabimus, qualis ſit de eo ſpes in poſterum, per irriſionem oſtendemus: pœnas ei multiplices impendentes proponemus: eumque tum ignominia, tum ſuppliciis deterrebimus: quantaque eum incommoda, quanta pericula, quanta a Deo, atque hominibus ſupplicia maneant, aperiemus. Poſtremo eum tum a rebus, tum ab hominibus, quibus maxime fretus vivat, tum etiam a nobis ipſis deſtitutum iri oſtendemus, ſpemque illi omnem rerum, atque hominum, quantum fieri poterit, adimemus. Sed hæc materia rarius cadit in epiſtolam, niſi a patre in liberos proficiſcatur, tamen quod erat cognitu non inutilis, relinquenda non eſt viſa. Nunc ad defendendi genus tranſeamus.

De excuſandi, ſive defendendi genere.

CAPUT XXI.

DEfendendi, atque excuſandi eadem, quæ accuſandi, ratio eſt. Partes eaſdem habet, cauſſam, perſonam, actionem: quæ quoniam inter ſe ita conjunctæ ſunt, ut ſeparari nequeant, conjunctim quoque a nobis tractabuntur. Omnis igitur cauſſa, aut excuſatur, ut non facta: aut tanquam facta defenditur. Si culpa omnino carebimus, remque excuſare, ut non factam, apud amicum voluerimus, ab admiratione ejus, qui ita de nobis credat, aut ſcribat, incipiemus: noſtram in eum benevolentiam, obſervantiam, fidem commemorabimus: anteactam ei vitam in memoriam redigemus: nunquid ſimile, aut de majoribus noſtris, aut de nobis ipſis unquam audierit interrogabimus: rem deinde a conjecturæ partibus, quas ſupra docuimus, ab illiſque præſertim, quas ipſe ad probandum attulit, infirmabimus: omnique ex parte incredibilem, inutilem, incommodam, indignam, difficilem nobis; & ſi poterimus, etiam impoſſibilem reddemus: quæque is firmiſſima contra nos argumenta collocaverit, ea potiſſimum aut diſſolvemus, aut in-

infirmabimus, aut eludemus: deinde, si poterimus, quis auctor ejus rei fuerit, vel aperte ostendemus, vel conjecturis significabimus. Id si non poterimus, alios in suspicionem adducemus. Rogabimus postremo, ut omnem de nobis suspicionem abjiciat: nostramque amicitiam in posterum optima spe, multisque pollicitationibus confirmabimus: rogabimusque eum, ut animi, atque amoris nostri quodvis periculum faciat. Si rem non factam apud superiorem excusabimus, in principio, quantum poterimus, nos in ejus benevolentiam insinuabimus, vererique nos dicemus ei quoquo modo adversari: sed fretos ejus humanitate, prudentia, benevolentia, æquitate, sperare plus apud illum, vel nostram innocentiam, vel ipsam per se veritatem, quam invidorum criminationem, aut perfidiam, tum fidei, tum auctoritatis habituram, cui nostra in primis vita, consuetudo, & in eum observantia nota sit, quarum rerum utilis commemoratio erit: culpam omnem in delatores, invidos, calumniatores, maledicos transferemus: ab eisque hanc in nos fabulam, vel ex sua natura, vel ex odio nostri, vel ex aliquo commodo, quod se consecuturos sperent, vel ejus ipsius fallendi gratia confictam esse dicemus: illis eum nullo modo credere oportere. Tum no-

ſtram innocentiam probabimus, & ea, quæ in ſuperiore excuſatione præcepta ſunt, omnia ſed ſummiſſius, & circumſpectius exequemur: quæque ſuperius de amicitia diximus ea, in obſervantiam, fidem, & venerationem commutabimus: eademque clauſula epiſtolam concludemus. Si facta res apud amicum defendenda erit, aut per ſe recte facta oſtendetur, aut accerſita extranea cauſſa comprobabitur. Si pro recte facta defendemus, aut jura, aut leges, aut inſtituta, aut conſuetudines, aut rationes, quibus id fieri liceat, afferemus: oſtendemuſque nihil a nobis contra officium, contra amicitiam, contra æquitatem, aut contra ejus vel ſalutem, vel dignitatem eſſe factum: quid autem factum ſit, poſt breve exordium cum rei extenuatione narrabimus. Exordium autem tum admirationem ejus, qui recte factum vel ignoret, vel accuſet, tum propoſitionem cauſſæ juſtam, atque honeſtam continebit. Probata autem his, quas modo dixi rationibus, cauſſa, nihil de noſtra amicitia propter id minui debere oſtendemus: quantique nos eum ſemper fecerimus, atque in poſterum facturi ſimus, demonſtrabimus; rogabimuſque eum, ut amicitiam, benevolentiam, fidem, diligentiamque noſtram omnibus ſuis in rebus experiatur. Si defenſio per ſe infirma erit,
at-

atque adjuncta extraneæ caussæ videbitur indigere, primum non id factum, quod ille opinetur, dicemus, atque esse eum vel ab aliis, vel ab ipsa rei specie deceptum ostendemus: deinde quid nos fecerimus, quid factum esse dicatur, alterum extenuando, alterum augendo, exaggerandoque narrabimus: factaque utriusque comparatione, quid hoc ab illo differat, ostendemus. Si facti species mutari non poterit, mutabitur magnitudo, modus, tempus, locus, aut aliquid ex his, quæ negocium possunt extenuare. Sin horum quoque nihil mutari poterit, finis saltem mutabitur: ostendemusque nos id non ejus offendendi gratia suscepisse, neque fuisse unquam suscepturos, si qua ex parte illum offendi posse suspicati essemus, tum de nostra innocentia, natura, consuetudine, professione, de nostra item amicitia pluribus tum rationibus, tum exemplis agemus: nullamque ejus offendendi caussam fuisse dicemus. Hoc loco assumptivæ juridicialis partibus utemur: culpamque ut supra docuimus, vel in hominem, vel in rem quampiam transferemus. Postremo rogabimus, ut nobis ignoscat: omniaque in posterum, quæ de amico sperare fas est, de nostra fide, diligentia, benevolentiaque pollicebimur. Si crimen, de quo aliquod judicium futurum sit,

apud ſuperiores defendemus, utemur eadem, quam modo docuimus, tum diſtribuendi, tum defendendi ratione: ſed omnia & circumſpectius propter perſonæ dignitatem, & vehementius propter rei periculum tractanda ſunt. Primum quidem ea dicenda, quæ benevolentiam omni ex parte contrahant: deinde, quæ cauſſam noſtram omnibus modis probent: poſtremo, quæ ad veniam, & miſericordiam impetrandam ſint accommodata: quæ quonam modo facienda ſint, quoniam ſuperius ſatis, abundeque dictum eſt, hoc loco non commemoro. Si vero noſtræ cauſſæ maxime diffidimus, ad deprecationem fugiendum eſt: ejuſque ad quem ſcribemus, æquitas, manſuetudo, clementiaque laudanda. Peccatum ſi extenuari non poſſit, plane confitendum, atque omnis noſtra ſpes in ejus clementia, miſericordiaque reponenda, quam ſæpe, & quam multis vel alii, vel ipſe, ſimili, aut majori de cauſſa ignoverit, exponendum: quantamque ei apud Deum, qui etiam hoſtibus ignoſci voluit, vel apud homines ea clementia ſit laudem allatura. Proderit etiam per locum communem de humanæ naturæ imbecillitate, & fragilitate diſſerere. Miſericordia poſtremo, per eos, quos ſupra docui, communes locos, quoad fieri poterit, eſt commo-

mo-

movendæ; omnisque fides, integritas, probitas, virtusque in posterum promittenda. Atque in excusandi quidem, & defendendi genere hæc scribenti servanda sunt.

De certis, & incertis rebus.

CAPUT XXII.

ET præteriti quidem temporis in hunc modum ratio se habet. Futurum tum in rebus certis, tum incertis versari diximus. Certas res voco, quas aut faciendas, aut non faciendas esse, certa quadam animi sententia judicamus: ut ea, quæ vel principium aliquod habent, vel cursu aliquo naturæ, aut consuetudinis, certo quoque temporis spacio redeunt, & quasi referuntur, ut si apparatum belli viderimus, bellum futurum esse tanquam certam rem dicimus. Item quum hyemem, atque æstatem ex ipso naturæ cursu, recurrere singulis annis videamus, de his quasi de certis rebus loquimur. Item quum annuos Romæ creari magistratus longa jam consuetudine compertum habeamus, futura comitia, tanquam rem certam expectamus: magistratusque ante tempus, quasi certos, statosque petimus. Incertas vero res appello, quæ neque principium, neque tempus, quo ge-

rantur, certum habent, sed in spe, aut opinione, aut conjectura, aut rerum, voluntatumque mutatione universæ sunt positæ. Et quoniam in utramque partem sine ullo discrimine possunt evenire, judicia nobis libera non relinquunt, hujus generis exempla sunt; utrum ego anno proximo Romæ sim commoraturus: utrum Venetias, an aliam Italiæ civitatem petiturus: Utrum hoc anno Pontifex moriturus sit, & quæ sunt generis ejusdem, quæ possunt in utramque partem evenire, ut diximus: nos igitur a certis rebus incipientes, species singulas, quantum necesse videbitur, percurremus.

De imperandi, & prohibendi genere.

CAPUT XXIII.

IN his prima est imperandi ratio, quæ superiorum, aut magistratuum, aut potestatem aliquam gerentium est. Sed quum illi per alios, ut plurimum scribant, utrisque præcepta tradenda sunt. Omnibus igitur, qui per litteras aliquid imperaturi, aut mandaturi sunt, sive suo, sive alieno nomine id agant, tria potissimum consideranda sunt: quibus imperetur, quid imperent, quomodo imperent. Nam etsi omnibus beni-

nigne, mansueteque imperandum est, omnes enim humanitati, quam superbiæ libentius obtemperant: ingenuis tamen, & generosis animis mansuetius, & consideratius imperandum est; sponte enim, quæ agenda sunt, agunt. Retinenda tamen est semper majestas imperantis, ne cui præest, subesse, aut quem cogere potest, rogare videatur. In hoc genere aut nullo, aut quam brevissimo exordio utendum est. Id si res postulabit, ad ea, quæ facienda sunt, lectorum animos præparabit, rationemque, qua ipse ad imperandum ductus sit, aut utilitatem exponet: nonnunquam rei magnitudinem, difficultatem, necessitatem, honestatem, laudem, præmiumque proponet. Id si opus non erit, a narratione incipiet ejus rei, de qua imperaturus est; rem autem, quam imperabit, primum possibilem ostendat necesse est: deinde etiam facilem, aut certe non difficilem: honestam præterea, & utilem, non ei, qui imperat solum, sed ei quoque, qui imperium sustinet, & si poterit, etiam necessariam. Modum quoque rei gerendæ, facultatemque præbeat. Postremo, quid ex ea re emolumenti, vel laudis sit uterque consecuturus, ostendat. Mandandi eadem pene, quæ imperandi ratio est, nisi quod qui mandat, rogare potest: qui imperat, si modo imperat, non potest.

teſt. Precum tamen loco adhortationes, atque incitationes ſuccedunt: quæ imperanti nunquam inutiles, ſæpe etiam neceſſariæ ſunt. Præterea qui mandat, familiarius, ac lenius: qui imperat gravius, ac ſeverius agat. Prohibendi quoque ratio non ſane ab imperando multum diſcrepat. Quibus enim rationibus imperamus, iiſdem quoque prohibeamus neceſſe eſt. Sed prohibemus aſperius, & præmii loco pœnam, ignominiamque proponimus. Plus tamen in omni re humanitas, & æquitas, quam jus ullum, aut ſeveritas valet. Sed de hoc toto genere hactenus.

De ſuadendi, & diſſuadendi genere.

CAPUT XXIV.

Sequitur ſuadendi, & diſſuadendi, ſive hortandi, & dehortandi genere, quod in ſcribendo latiſſime patet, atque ad res plurimas eſt accommodatum. Nulla enim fere epiſtola eſt, quæ non aliquam ſuaſionem, & diſſuaſionem habeat. Ea cujuſmodi eſſe debere, aut a quibus locis petenda eſſet, ſatis eſt a nobis in deliberativo genere demonſtratum. Quum igitur aliquid nobis per epiſtolas ſuadendum, aut diſſuadendum erit, exordium a noſtra, in quem ſcribimus,

mus,

mus, perpetua voluntate, & benevolentia capiemus: ostendemusque, quam in ceteris rebus nostrum studium perspectum, probatumque fuerit, & quam nos cupidi simus, ut ei fiat aliqua vel virtutis, vel gloriæ, vel fortunæ, vel dignitatis accessio: nosque ad id summo studio dare operam, atque invigilare dicemus; deinde rem, de qua agendum erit, honorifice proponemus, eamque omni ex parte, ut intelligemus opus esse, laudabimus: aut si dissuadendum erit, vituperabimus. Tum ejus, si suadebimus, utilitatem, honestatem, gloriamque: si dissuadebimus, detrimenta, turpitudinem, atque ignominiam, & quæ sunt superioribus rebus contraria, proferemus; deinde exemplis in utramque partem utemur multis: tum superiora omnia ad eum, ad quem scribimus, accommodabimus, ostendemusque illum præ ceteris ea, quæ diximus, consecuturum: hominemque multis verbis ad eam rem cohortando, incitandoque inflammabimus, vel ab ea deterrendo, ac dehortando avertemus. Postremo, si opus esse videbimus, preces etiam nostras in utramque partem interponemus: & quam grata nobis ea res futura sit, omni ex parte declarabimus. Hæc erit meo judicio, suadendi, & dissuadendi ratio in scribendo plerunque servanda. Muta-

tabit ex hac fortasse aliquid ratio, aut personarum, apud quas non semper eodem modo loqui licet: aut rerum, quæ non semper eo ordine, modove tractandæ sunt. Sed hæc omnia, quia certis legibus includi non possunt, scriptoris prudentiam moderabitur: nos ad cetera genera transeamus.

De commendandi genere.

CAPUT XXV.

PRoxima est huic commendandi ratio, quæ quidem, & epistolarum propria est (ea enim in alio scribendi genere non utimur) & ab omnibus, qui quoquo modo scribunt frequentissime usurpatur; nemo enim fere est, qui vel se, vel alium aliquando non commendet. Itaque tam varia, quam frequens est; pro personarum enim, rerumque qualitate aliter, atque aliter ab omnibus tractatur. Personæ in hoc genere duæ potissimum considerantur: ejus, qui commendatur: & ejus, cui commendatur. Aliter enim nos ipsos, aut liberos nostros, aliter familiares, atque amicos, aliter hospites, & incognitos commendamus. Magna præterea doctrinæ, virtutis, dignitatis, professionis, nobilitatis, fortunæ, ceterarumque rerum in commendatione habenda ra-

ratio eſt: ut non eodem modo doctum, & indoctum, ſacrum, & prophanum, magiſtratum, aut dignitatem aliquam gerentem, ac privatum: item divitem, atque inopem, liberum, ac ſervum, nobilem, atque ignobilem commendemus. Danda enim opera eſt, ut de unoquoque convenienter, atque accommodate loquamur. Eorum quoque, quibus commendamus, delectus habendus eſt, ut non eodem modo principi, atque amico: item magiſtratui, ac privato rem quampiam, aut hominem commendemus; cum amico enim, & privato homine agere utcunque poſſumus: Principi vero, & magiſtratui, neque omnes, aut omnia commendare, neque ſine ſumma æquitate, aut neceſſitate fas eſt. Cum amico præterea liberius loqui licet: cum principe, & magiſtratu, etiamſi nobis ille amiciſſimus ſit, non licet. Habenda eſt enim ratio ejus, quam obtinet, dignitatis, omniaque apud eum graviter, ſevereque agenda. Rerum quoque non mediocris habenda ratio eſt. Et primum quidem, nonniſi juſta, aut honeſta, aut neceſſaria commendatio ſuſcipienda eſt; deinde videndum, ut res ſit ejus, cui commendatur, dignitati, facultati, naturæque accommodata; quæ quidem, ut cognoſcere plane poſſimus, ante omnia ejus, quem commendare volumus, tum

rei,

rei, tum perſonæ habenda cognitio eſt, ne aut injuſtam cauſſam pro juſta, aut pro bono viro peſſimum commendemus. Commendatio autem omnis in duas potiſſimum partes conſumitur, in laudem, & ſuaſionem. Nam & dignam noſtra commendatione, eam, de qua ſcribimus vel cauſſam, vel perſonam oſtendamus: & ei, ad quem ſcribimus, quod volumus ſuadeamus neceſſe eſt. Et quanquam tam varia eſt, ut diximus, commendandi ratio, ut præcipi in ea proprii, aut certi nihil poſſe videatur: hæc tamen in omni fere commendatione ſervanda eſſe video: primum, ut cauſſas, quæ nos ad commendandum duxerint, oſtendamus: deinde rem ipſam breviter explicemus: tum ei poſſibilem, facilem, commodam, utilem, honeſtam, laudabilemque reddamus; deinde rationes afferamus, quibus ille ad id faciendum adduci debeat; tum cohortationes, & preces adjungamus, & ſi neceſſe videbitur, miſericordiam commoveamus. Poſtremo aliquod ei præmium proponamus: denique aliis precibus epiſtolam concludamus. Quæ omnia, quo pacto facienda ſint, quanquam ex ſuperioribus præceptis magna ex parte colligi poteſt: tamen quoniam hæc adoleſcentibus ſcribimus, ut cognitu faciliora ſint, paullo altius explicabo. Cauſſam commendatio-

tio-

tionis vel a nostra, vel ab ejus, quem commendamus, vel ab ejus, ad quem scribimus, persona sumamus necesse est. A nostra, quum nos ejus, quem commendamus, necessitudine, familiaritate, cognatione, officiis adductos esse dicemus. Ab ejus, quem commendamus, persona caussas sumimus, quum ejus probitatem, virtutem, doctrinam, nobilitatem, inopiam, calamitatem, aut necessitatem aliquam, vel a natura, vel a fortuna profectam commemoramus: a natura, ut corporis totius, vel membri alicujus imbecillitatem, item ætatis, aut sexus infirmitatem, aut rerum omnium ignorantiam: a fortuna, ut membrorum, aut liberorum, aut rei familiaris, aut libertatis, aut ceterarum rerum nobis charissimarum amissionem. Ab ejus, ad quem scribimus, persona caussam sumimus, quum ejus naturam, humanitatem, virtutem, benevolentiam, & studium in omnes bonos: item quum bene merendi de omnibus consuetudinem, cupiditatemque: quum vel nostram amicitiam, vel ejus dignitatem, opes, copias, auctoritatem, magistratumque commemorabimus. Atque in has fere caussas exordium consumitur; danda tamen opera est, ut pluris eum, ad quem scribimus, quam eum, quem commendamus, facere videamur, ne ille aut ob-

obtundi a nobis, aut defatigari, aut parvipendi, aut impediri putet, quo minus officium, & magistratus recte, atque ex sententia administret: plusque nos illi tribuere, quam aut ei, quem commendamus, aut nobis ipsis, majorique nobis curæ dignitatem suam esse, quam amici necessitatem ostendamus. Atque hæc potissimum in exordio facienda sunt copiosius, aut brevius, item accuratius, aut remissius, pro rerum, personarumque qualitate. Narrandi, suadendique rationem ex superioribus repetemus. Rationes, quibus ille ad rem, quam volumus faciendam, adduci debeat, ab iisdem locis sumamus, a quibus caussas commendationis sumendas esse demonstravimus. Sed videndum erit, ne easdem sæpius, aut eodem modo repetamus; in exordio enim ad nos, hic ad illum omnia referenda sunt, ut ostendamus eum vel nostra, vel ejus, quem commendamus, vel sua ipsius caussa moveri oportere. Preces, atque adhortationes ex communibus amplificationis locis, item misericordiæ commovendæ rationem ex superioris voluminis præceptione repetemus. Præmii proponendi ratio ab iisdem omnibus, quas modo dixi, personis petenda est: a nostra quidem, si nos ejus beneficii gratos, memoresque futuros esse promiserimus: si benevolentiæ, ob-

obſervantiæ, & obligationis, aut etiam ſervitutis incrementum pollicebimur: ſi in ſuis, atque amicorum rebus omnem operam, ſtudium, induſtriam, diligentiamque adhibituros nos eſſe dixerimus: denique ſi certum aliquod præmii genus offeremus, quod noſtra, ejuſque perſona dignum videatur. Ab ejus, quem commendabimus, perſona præmium offeremus, ſi eadem fere de eo, quæ de nobis promittemus. Item ſi oſtendemus eum ob ſuas virtutes dignum ejus, cui commendabitur, notitia, benevolentia, familiaritate, beneficiis, gratia, conſuetudine, domo, conjunctione, & ceteris rebus, quæ hominem homini conciliare poſſunt. Ab ejus, ad quem ſcribimus, perſona præmium offeremus, ſi ei gloriam, famam, exiſtimationem, auctoritatem, immortalitatem, beatitudinem, aut ſi cetera omnia deſint, conſcientiam recte factorum, qui bono viro fructus eſt maximus, proponemus; hæc vero non omnibus omnia, sed ut cuique maxime conveniunt, ita maxime proponenda ſunt, ac de commendandi quidem genere hæc in præſentia dicta ſufficiant. Cetera ingeniorum varietas, & prudentia excogitabit.

De petendi, concedendi, & negandi genere.

CAPUT XXVI.

Commendationi finitima, & pene conjuncta petitio est. Altera enim alterius auxilio maxime eget. Nam & commendatione petimus, & in petitione sæpe commendamus: sed quoniam utraque locos habet peculiares, ac suos, tractanda mihi separatim est visa. Igitur ad quemcumque scripta sit petitio, exordium aliquod habeat necesse est: Id caussæ maxime conjunctum, reique, quam petimus, accommodatum esse debebit. In eo personam, ad quam scribimus, nobis conciliare omnibus modis studebimus. Id a nostra persona faciemus, si nostram benevolentiam, observantiam, servitutem, officia pro personarum qualitate commemorabimus. Ab ejus, ad quem scribimus persona, si ejus in nos, & in omnes bonos benevolentiam, voluntatem, merita, atque officia proferemus: si hominem ab illis maxime virtutibus, rebusque laudabimus, quarum nos maxime indigebimus: ut si dignitates impetrare cupiamus, potentiam ejus laudabimus: si opes, liberalitatem: si patrocinium, pietatem, auctoritatem commemorabimus: eo-

dem-

demque tempore duo aſſequemur ; nam & benevolum nobis ipſum reddemus, & rei, quam petimus, præſtandæ facultatem illi eſſe oſtendemus. A re ipſa benevolentiam captabimus, ſi honeſtam, ſi laudabilem, ſi dignam, in qua ipſe laboret, oſtendemus : præterea, ſi ejus ſtudio illum teneri dicemus. Exordium narratio ſtatim ſubſequetur ejus rei, in qua fundanda petitio eſt. Narrabimus autem ita, ut rem honeſtam, poſſibilem, facilem, opportunam, & quantum poſſumus neceſſariam reddamus. Huic petitionem ſubjungemus : quo ad fieri poterit, brevis, atque attenuata ſit neceſſe eſt, ne multa, & difficilia petere videamur. Danda itaque opera eſt, ut in uno potius verbo plura, quam in pluribus unum petamus, tum quibus id rationibus facere commodiſſime poſſit ; quibus etiam de cauſſis debeat, aperiemus. Cauſſæ autem vel a neceſſitate, vel ab honeſtate, vel ab utilitate, vel a laude, & gloria, tum a noſtra, tum a lectoris perſona, tum etiam a rebus ipſis ducendæ ſunt : quæ quoniam ſunt a nobis ſuperius pluribus verbis explicatæ, non ſunt hic latius repetendæ. Pollicebimur ei poſtremo aliquid loco præmii, cujus offerendi ratio ſatis a nobis in commendatione eſt ~~poſita~~. Quoniam ~~vero~~ petita per epiſtolam aut negamus, aut conce-

dimus, de utroque genere mihi paucis eſt dicendum. Concedendi ratio duplex eſt; aut enim facilia, aut difficilia concedimus; Si difficilia concedemus, primum amici petitionem exponemus: deinde rei difficultatem vel ab ipſius rei natura, vel a noſtra facultate demonſtrabimus: deinde difficultates omnes ſuperatas a nobis ejus cauſſa, oſtendemus. Dicemus nos id vel amicitiæ noſtræ, vel ejus virtuti, vel nobilitati, vel neceſſitati tribuiſſe. Si præmium benevolentiæ fuerit, id non cupide accipere dicemus: ſi debitio gratiæ non recipiemus: ſed nos magis his, quas modo dixi, partibus omnia debere oſtendemus, noſtramque operam omnibus in rebus offeremus; ſuiſque contra, quum aliqua in re nobis opus fuerit, uſuros nos eſſe dicemus. Si rem facilem, aut tanquam facilem concedemus, gaudere nos dicemus, oblatam nobis eſſe facultatem ei gratificandi; ſed noſtram in eum voluntatem aliqua magna in re nos oſtendere vehementer cupere. Tum de noſtro in eum animo, de ſua contra in nos benevolentia, de virtutibus, in primiſque de modeſtia, qua in petendo ſit uſus, aliquid dicemus. Deinde rem ipſam, ut minimam, facillimamque concedemus: rogabimuſque hominem, ut noſtra opera frequentius, & majoribus in rebus uti velit:
noſ-

nosque idem facturos, quum opus fuerit, ostendemus: eaque omnia dicemus, quæ animi nostri bonitatem, liberalitatemque ostendant, ut libentissime, quicquid fecimus, fecisse videamur. Si quid amico negabimus, primum ejus petitionem exponemus: deinde rei difficultatem, tum ab ipsius rei natura, tum a nostra impotentia, sive imbecillitate, tum etiam a loci, temporis, facultatum, instrumentorum, & ceterarum rerum culpa proferemus. Rem quoque, si poterimus, ei vel inutilem, vel incommodam, vel indignam ejus persona ostendemus. Rogabimus deinde, ut æquo animo ferre velit: atque ita rem negabimus, ut ille per nos non stetisse, quo minus efficeretur, existimet, nostramque in eum voluntatem, benevolentiam, fidem, diligentiamque, & præteritorum officiorum exemplo testabimur, & in posterum omnibus in rebus cupidissime pollicebimur: dabimusque operam, ne quid ex hac negatione nostræ amicitiæ detrahatur. Atque his fere modis in scribendo res certæ tractentur.



De consultandi genere.

CAPUT XXVII.

INcertæ vero res aut nostræ, aut alienæ sunt: nostræ fere omnes in consilio capiendo, petendoque versantur. Alienæ magis variæ, multiplicesque sunt. In illis enim, ut superius diximus, aut optamus, aut opinamur, aut interpretamur, aut id, quod tam certis, quam incertis rebus commune est, consilium damus. Omnis igitur consultatio (ut a nostris incipiamus) partim talis est, ut sciamus, quid nobis agendum sit: partim talis, ut dubitemus, atque ab alio quæramus. Quum incertæ rei certum nobis consilium propositum erit, videndum erit, qua de caussa id ad amicum scribamus; permagni enim refert, qua de caussa quicque scribatur. Nam nostri consilii rationem ad amicum communicandi tantum gratia perscribemus, si is hoc a nobis petierit, dicemus nos ei satis facere, aut gratificari velle: nihilque esse, quod cum eo de nostris rebus per nostram amicitiam communicare non debeamus. Si is a nobis nihil petierit, dicemus nihil esse, quod illum pro mutua nostra benevolentia latere debeat, victosque nos illius fide, pru-

prudentia, taciturnitate: si secreta res erit, ad eum nostri consilii rationem perscribere statuisse: deinde si res ei penitus ignota fuerit, eam altius repetemus: si nota fuerit, brevi narratione in memoriam redigemus. Tunc caussa posita, quid faciendum constet, quid in deliberatione relinquatur, aperiemus. Deinde si late omnia perscribere statuerimus, singulas rationes, quibus ea res non facienda esse videbitur, confutabimus, donec ad eas veniamus, quibus ipsi, ut hoc consilium caperemus, adducti sumus. Deinde consilium explicabimus, idque rationibus confirmabimus, ut recte nos deliberasse appareat. Deinde brevi epilogo epistolam concludemus, & quid ex ea communicatione velimus, aperiemus. Si summatim nostrum consilium describemus, nulla confutatione utemur: sed consilium tantum ipsum aperiemus, breviterque confirmabimus, & sine epilogo concludemus: & quid ex ea communicatione petamus, aperiemus. Si nostrum consilium exponemus, ut amici judicium audiamus, ejus fidem, prudentiam, ingenium, judicium in principio commendabimus, resque ab illo prudenter judicatas proferemus: & rem, de qua capiendum consilium est, graviter proponemus: rogabimusque hominem, ut diligenter rem consideret: attentumque

his locis, quos in superiore libro exposuimus faciemus, ostendemusque nos nequaquam prudentiæ nostræ, judicioque confidere: ideoque rem ad eum integram detulisse, deinde caussam, ut paulo ante dixi, narrabimus, confutabimus, confirmabimus, nostrumque consilium exponemus: tum brevi epilogo amici memoria recreata, judicium ejus requiremus: ostendemusque quantum ei tribuamus, quantumque in eo spei reponamus, dicemusque nos consilium nostrum ex eo judicio vel executuros, vel omissuros. Si vero consilium nostrum incitandi ad idem amici gratia perscribemus, ostendemus nos eum monere non audere, prudentiamque hominis, judicium, doctrinam, experientiamque laudabimus, sed tamen benevolentia motos nos dicemus, ut quid ipsi vel fecerimus, vel facere constituerimus, conscribamus: ut nostrum consilium cum suo comparet, nostrumque si improbet, reprehendere: si probet, sequi possit. Si autem a nobis is alio consilio, quod ipsi non probemus, utatur, nosque eum in nostram sententiam traducere studeamus, laudabimus in principio prudentiam & sapientiam hominis, dicemusque non audere nos aut ejus consilia reprehendere, aut suis nostra præponere: sed tamen vim nostri amoris efficere, ut ei nostrum con-

consilium velimus perscribere, ut quum ipse suum nostrumque habeat, utrum placeat, sequi possit. Deinde rem, si opus erit, narrabimus: si non erit, omni ex parte confutabimus ita, ut nulla ex parte consilium ejus procedere posse videatur. Tum nostrum consilium exponemus, multisque id rationibus confirmabimus: & quid inde boni sequatur, & mali declinetur, aperiemus. Tum ad id paulatim hominem alliciemus, cohortabimurque, & quid inde consecuturus sit, multis verbis colligemus. Quanquam autem hæc præceptio existimari possit magis ad alienas, quam ad nostras res, potiusque ad dandi, quam ad capiendi consilii rationem pertinere: tamen quoniam nostri consilii continet expositionem, in eaque magna ex parte versatur epistola, hoc potissimum loco tractanda mihi est visa. Sed redeo ad inceptum. Quum consultatio talis erit, ut quid facturi simus, omnino dubitemus, consiliumque ab amico requiramus; ejus in principio prudentiam, fidem, probitatem, ceterasque partes commendabimus, quæ ad consilii dandi rationem pertinere videbuntur: dicemusque & quo pacto ipse aliis consulere soleat, & quantum nos in ejus consilio, spei, fideique repositum habeamus, quantumque in omni re homini semper tribue-

buerimus: deinde, quanti momenti ea res sit, de qua consilium petimus, exponemus: attentumque ad eam cognoscendam, considerandamque reddemus. Deinde rem dilucide, breviterque narrabimus, omnesque caussæ partes, & quasi latebras, ut inde consilium elici possit, reserabimus. Tum ea consilia, quæ capi posse videbuntur, per confutationem excludemus, remque ipsam omni ex parte ambiguam, difficilemque reddemus ita, ut quemadmodum in superiori consultatione, tanquam in comœdia, certa omnia & parata relinquebamus, nunc incerta, atque implicita omnia, tanquam in fine tragœdiæ relinquamus. Rogabimus deinde amicum, & per res ei carissimas; ut per Deum, per suam fidem, per nostram amicitiam obtestabimur, ut recte nobis, & fideliter consulat, nostræque huic vel sollicitudini, vel curæ, vel dignitati, vel saluti subveniat. Quantum momenti sit in consilio capiendo ad res vel bene, vel male gerendas, ostendemus. Postremo, quantum illi debituri simus, quantique hoc consilium facturi, declarabimus, nosque illi vicissim, & nostra omnia singillatim pollicebimur. Atque hæc fere in nostris rebus servanda sunt.

De

De optandi ratione.

CAPUT XXVIII.

IN alienis porro, quæ futuræ, incertæque sint, varie afficimur; sed (quod ad hunc locum spectat) in primis optamus. Optandi autem ratio duplex est. Aut enim rem quampiam optamus, ut opes, dignitates, valetudinem, vitam: aut in re, quæ parta jam sit, aliquid evenire cupimus, ut in opibus conservationem, incrementum, usum: in dignitatibus gloriam, honorem, auctoritatem: in vita tranquillitatem, lætitiam, felicitatem, & quæ in ceteris rebus optari solent. Atque in priori quidem genere ante omnia videndum est, ut boni aliquid optemus, ne ei, cui optamus, aut noceat, aut certe non prosit: quale esset, si avaro pecuniæ magnitudinem, aut furioso insaniæ materiam optaremus. Deinde, ut id, quod optamus, possibile & verisimile sit, ne aut non sacerdoti pontificatum, aut privato homini summum imperium optemus: quæ quidem tametsi fieri quoquo modo possunt, tamen quoniam iis ordo rerum humanarum, cursusque repugnat, ut a vero longissime absunt, ita debent a boni viri tum animo, tum scriptis abesse quam plurimum.

mum. Danda præterea opera eſt, ut non veriſimilia modo, ſed convenientia etiam perſonis optemus: ut civi in ſua patria magiſtratus, principi regnum, Pontificatum maximum epiſcopo: quæ non ſolum eſſe poſſunt; ſed frequenter quoque eveniunt. In primis vero in optando modeſti eſſe debemus, ne blandiri magis, quam optare videamur. Gratiſſimum autem fecerimus, ſi ut cuique aliquid maxime cordi eſt, ita id illi optabimus. Nobis tamen in optando gravitas eſt, & prudentia retinenda: ut ſi quis falſa de ſe perſuaſerit, non illi continuo vana optemus, hominemque in falſa de ſe perſuaſione confirmemus, & ſpe vana impleamus. In poſteriori genere, & eadem honeſti, poſſibilis, veriſimilis, & congrui ratio ſervanda eſt: & precationes illæ partim ex ipſarum rerum natura, partim ex virtutum officiis, & bene, beateque vivendi ratione ducendæ ſunt. Ex ipſarum rerum natura, ut quum opes ad uſum, non ad poſſeſſionem optantur: quum magiſtratus ad publicam utilitatem, non ad eorum, qui illos gerunt, cupiditates explendas bonis civibus optantur. Ex virtutum officiis, & bene vivendi ratione ducimus precationes, quum opes ad liberalitatem, magiſtratus ad juſtitiam, dignitates ad virtutem quampiam exercendam, ſive ad gloriam, aut

bea-

beatitudinem comparandam optamus. Atque hæ potiſſimum noſtris precationibus ſubjici rationes debent; fruſtra enim optamus, niſi rationes quoque noſtrorum votorum ſubjungamus. Precationibus autem cohortationes adjungi debent, ne optare tantum ejus rei, quam volumus, eventum, ſed juvare quoque amicum ad eam rem conſequendam, & manuducere quodammodo videamur. Hoc autem genus raro epiſtolam per ſe facit: ſed aut gratiarum actioni, aut gratulationi, aut laudi, aut aliis generibus adjungi, atque admiſceri ſolet, tamen ſi quando accidat, ut hac ſolum de cauſsa ſcribere velimus, ſiqua de re certa ſpes, aut opinio erit, dicemus nos ea de re audiſſe aliquid: ut, proximis comitiis eum Prætorem, Pontificemve creandum. Quo loco, quam gratum id nobis, ſi evenerit, futurum ſit, tum ab ejus, tum a noſtra perſona, tum a reipſa oſtendemus: ab ejus perſona, ſi ejus virtuti, dignitati, nobilitati, meritis conſultum iri dicemus: ſi quæ cum dignitas, auctoritas, gloria, item quæ opes, copiæ, facultates, quæ denique rerum omnium actiones conſequentur, indicabimus: a noſtra perſona, ſiqua utilitas, dignitas, lætitia, fortunæ, dignitatiſve acceſſio ſit inde conſecutura, demonſtrabimus: a re ipſa, ſi tum demum recte adminiſtrandam, cu-

curandamque oſtendemus : ſi dicemus rem illam tali viro indigere, neque tam viro, quam rei conſultum iri. Quæ quum fecerimus, optabimus, ut ita veniat : rationeſque quas ſuperius docui, ſubjungemus, tum hominem hortabimur, rogabimuſque, ut ſpem atque expectationem tum noſtram, tum eorum, per quos dignitatem, aut rem illam conſecuturus eſt, tum ceterorum omnium non modo non fruſtretur, verum etiam augeat, atque accumulet. Quod ſi nulla certa res votis noſtris erat præpoſita, eum initio laudabimus ab his potiſſimum partibus, quæ conſentaneæ videbuntur ei rei, quam illi optare volumus : ut ſi magiſtratum optaverimus, ab juſtitia, & integritate laudemus : ſi ſacerdotium, a vitæ, morumque probitate, a religione, & ceteris ejuſdem generis rebus: deinde oſtendemus, quid meruerit, atque illi virtutum, & vitæ præmia digna optabimus : neque optabimus ſolum, ſed ſpem quoque eadem de re oſtendemus tum ob cognitam omnibus ejus virtutem, & probitatem : tum ob temporum, principumque naturam: tum ob alias cauſſas, quæ in unaquaque perſona excogitari poſſunt. Hortabimur poſtremo eum, & rogabimus, ut ab eo vitæ inſtituto non diſcedat; nam & ſatis magnum præmium recte factorum in præſentia conſcientiam

tiam esse, & in posterum a Deo, omni spe, aut cogitatione majus, atque augustius expectari. Ac si quando separatim est per epistolam optandum, hac ratione, meo judicio, optandum est: sin vota nostra cum laude, aut gratulatione conjungemus, hæc eadem fere, sed brevius, contractiusque servabimus. Sed de optandi ratione hactenus.

De prædicendi, interpretandi, opinandique ratione.

CAPUT XXIX.

ILla quoque prædicere, conjicere, interpretari, & siqua sunt alia ejus generis, quæ in opinione posita sunt, quanquam raro per se epistolam, aut aliud scribendi genus faciunt, possuntque epistolarum magis loci, quam genera vocari: tamen & quoniam possunt aliquando per se epistolam facere, & habent sub se (ut docebimus) alios atque alios locos, separatim mihi breviter tractanda visa sunt. Igitur prædicere qui volet, sive ille arte aliqua, & scientia, sive ex prudentiæ ratiocinatione prædicat, ante omnia meminerit se nihil certi, nihil particularis prædicere vel debere, vel posse. Atque maximum imprudentiæ argumentum

tum eſt, quum ea, quæ vel in hominum voluntate, vel in varietate fortunæ tota ſita ſunt, putat ſe quiſpiam aut prudentiæ, aut ſcientiæ ratione prædicere poſſe. Itaque videndum in primis eſt, quid poſſimus, quid debeamus prædicere. Quum autem ad ſcribendum accedimus, tria in exordio facienda ſunt: proponenda res, de qua dicturi ſumus cum allectione lectorum: quo pacto eam aut prædicere poſſimus, aut velimus, oſtendemus: removenda omnis tum temeritatis, tum divinationis ſuſpicio, ne aut ea, quæ ſciri a nobis non poſſunt, temere nobis arrogare: aut divinandi peritiam, quæ ab homine docto, & ſapiente diſſidet plurimum, ſimulare velle videamur. Sed oſtendendum, quicquid nos dicimus, amici gratia, & benevolentiæ magnitudine adductos dicere, ut ille vel tutior in periculis, vel in rebus gerendis conſideratior, & prudentior poſſit eſſe. Deinde ad cauſſam paulatim accedendum, & partim ex anteactis, partim ex præſentibus futura per ſimilitudinem, & comparationem rationum, quodam quaſi digito demonſtrando, addendæ ſingulis rebus probabiles rationes: addenda ſigna, argumenta, & cetera omnia, quæ poſſunt id, quod volumus, aliqua ex parte comprobare. Quod ſi diſcrimen, aut periculum amico prædicamus, omnia metu au-

genda

genda ſunt: exemplis præterea eorum, quibus idem accidit, multis, illuſtribuſque utendum: his, prout opus eſſe videbitur, ſuaſio, vel diſſuaſio, vel admonitio ſubjungenda. Proxima, & pene conjuncta prædictioni conjectura eſt, in qua primum nos rerum incertitudinem, & ignorationem excuſabimus: deinde in eam, quam ſuperius dixi, amici gratiam, & benevolentiam ea, quæ ſcribimus, referemus. Nonnunquam illa Ciceronis ſententia in exordiis uti poterimus; ut dicamus: illum præſentium quidem rerum vel publicarum, vel domeſticarum habere alios & ſcriptores, & nuncios; a nobis vero, quæ in conjectura poſita ſunt, quæque nobis videntur fore, tanquam ab homine ejus amantiſſimo, & non imprudenter monente, expectare oportere. Deinde res, ſi qua incidit, narranda, conjecturæque explicandæ, & ſignis, argumentis, ceteriſque locis, quos in cauſſæ genere docuimus, confirmandæ. Quo loco magna tum prudentia, tum moderatione utendum, ne quid temere, aut arroganter, aut inconſiderate, aut imprudenter de rebus, perſoniſve dicamus: ne non tam amici rem agere, quam damnare aliquem, & in odium adducere velle videamur. Tum res ſimilibus, atque exemplis, ſi opus fuerit, confirmabitur: ſi periculoſa erit, ſuſpicionibus

tota respergetur. Deinde omnia ad eum, qui propositus erit, adhortandi, dehortandi, rogandi, aut rem aliquam obtinendi finem accommodabuntur. Ejusdem quoque generis est interpretatio, non quæstionum, quæ ad studiosum illud, & contemplativum scribendi genus pertinent, sed negociorum, quum aliqua signa rerum futurarum videmus, quæ dubios, atque ancipites rerum eventus faciunt: ut quum vel hominum voluntates, vel actiones aliquæ, vel sententiæ ita dubiæ, atque obscuræ sunt, ut in utramque partem accipi possint. Quæ quum inciderint, ut amici gratia interpretaturi simus, primum quidem de ea re, sive persona in universum differemus, & quid in ea boni, quid mali cognoscamus, ex ipsius natura, & consuetudine ostendemus ut, si quis taciturnus sit natura, & nobis de amici caussa breviter, obscureque responderit; id nos non superbiæ, aut iracundiæ, aut malæ in nos voluntati, sed naturæ tribuemus: item si quæ res ob difficultatem, aut ob naturam sui generis, tardius quam volumus expediatur, id nos, quum ad amicum scribemus, non odio personarum, aut rei tædio, sed ipsius naturæ, difficultatique tribuemus, omnia vero in meliorem partem semper interpretabimur, ne amicum in discrimen, aut desperationem

ad-

adducamus. Quod si quid in pejus interpretari necesse sit, quoad fieri poterit, bono animo amicum esse jubebimus, nostramque illi fidem, operam, & diligentiam pollicebimur. Si autem incerta sint omnia, ut neque conjectura, neque interpretatione aliquid consequi facile sit, de toto rerum, aut personarum genere in universum disputabimus: & quid in similibus rebus evenerit, aut quid aliæ personæ in iisdem rebus, aut quid in aliis eædem personæ fecerint, ostendemus: & quantum licebit, per similitudines, aut comparationes idem fore argumentabimur. Tum quid inde evenire possit, omni ex parte considerabimus: & quid nobis faciendum, aut quo pacto, cuique parti occurrendum videatur, quantum opinione assequi poterimus, ostendemus: ad eamque rem nos, nostraque omnia, ut supra docuimus, offeremus. De iis quidem quæ in conjectura, & opinione posita sunt, hæc mihi præcipi videntur posse. Cetera tum ætas, tum doctrina, tum prudentia (optima rerum omnium, actionumque magistra) facile ad scribendi rationem accommodabit.

***

De consilii dandi ratione.

CAPUT XXX.

Reliqua est ex hoc universo genere dandi consilii ratio tam certis, quam incertis rebus communis: quæ quidem tametsi cum suadendi, & dissuadendi ratione conjuncta est; tamen quoniam aliam quamdam in scribendo rationem habet, diversaque præceptione continetur, consulto a nobis in hunc locum, ut separatim tractaretur, dilata est. Constat igitur hæc quidem tota ratio suasione, & dissuasione; sed habet differentias plurimas. Plurimum enim refert, sponte, an requisiti, in re certa an incerta, item integra, an inchoata, consilium demus. Multa etiam sunt personarum discrimina; neque enim eodem modo superiori, atque æquali, aut inferiori consilium damus. Atque hæ differentiæ, quum inter se miscentur, commutanturque, innumerabiles pene varietates ex sese pariunt. Possumus enim ad superiorem tum sponte, tum requisiti, de rebus nunc certis, nunc incertis, vel integris, vel inchoatis scribere: iisdem apud æqualem; atque inferiorem differentiis uti possumus: quas quidem omnes persequi, & infinitum, & su-

supervacuum esset; nos, quæ omnibus maxime communia præcepta judicabimus, ea potissimum persequemur: cetera scribentium ingeniis invenienda relinquemus. In omni igitur dando consilio, sive id sponte, sive requisiti faciamus, primum videndum est, ne aut nos temere alienis rebus ingerere, aut nostræ prudentiæ plus arrogare, quàm æquum sit; aut aliorum consilia contemnere, & nobis tantum credi velle videamur. Quod quidem facile assequemur, si aliorum prudentiam, judicium, consilium in principio collaudabimus, nostra omnia extenuabimus. Item si nos vel ejus precibus, vel nostra in eum incredibili benevolentia, vel magnitudine suorum erga nos meritorum, vel aliquo nostro officio adductos, non quidem ad consilium dandum (quod id fieri a nobis posse non putemus) sed ad nostram sententiam, ac voluntatem declarandam nos esse dicemus. Quo loco pulcherrimæ illæ insinuationes fieri solent, quum benevolentiam nostram cum illius sapientia, atque auctoritate committimus, & in aliquod quasi certamen, pulcherrima, atque honestissima sententiarum colluctatione producimus: & id, nunc ab ejus prudentia retrahi, nunc a nostra benevolentia concitari, hinc non audere, hinc cogi nos dicimus: & plurimis verbis vim nostri amo-

ris, quæ continere se non possit, excusabimus. Quem locum totum pulcherrime exequitur Cicero, cum sæpe alias, tum in illis ad M. Marcellum epistolis. Illud deinde observandum est, ut quantum nobis prudentiæ, auctoritatisque detrahimus, tantum fidei, atque amoris addamus: ut si prudenter, aut mature, aut efficaciter non possimus, fidelissime certe illi, & amantissime consulamus. Atque hæc in exordio, in quo summa vis est, plerunque servanda sunt, nisi vel ad inferiores, vel ad amicissimos scribamus: quibuscum omnia familiarius agemus, ut amicitiæ, & personæ ratio postulabit. Exordio si qua inerit, narratio subjungenda erit, si nulla res erit, quæ narretur, in caussam latenter ingrediendum: atque ita cum exordio caussa conjungenda, ut continuari res eadem, non alia incipi videatur. Si in re certa consilium dandum erit, caussa primum tota explicanda, partesque universæ, quasi latebræ, aperiendæ sunt. Tum quid in ea honestum, quid turpe sit, quid utile, quid inutile, quid denique boni, quid mali, oratione pervestigandum, ac discutiendum est. Si unicum in ea consilium sit, ad id oratio tota, & suasio dirigenda: & quo pacto id optime, atque honestissime succedere possit, ostendendum. Si plura sint consilia,

filia, optimum, atque honestissimum quodque deligendum: cetera omnia confutanda, ne dubius, atque incertus amici animus relinquatur. Si quando pugnare inter se utilitas, atque honestas videbuntur, utili semper honesta ratio præponenda: dandaque opera, ut amicus intelligat, quam ipse rem utilem putet, eam nisi honesta sit, non esse utilem, neque posse utilitatem ab honestate separari, sed specie, atque ignoratione boni homines decipi, atque adduci, ut alterum ab altero separent, quod revera non possit. Si autem res integra non fuerit, & aliquid sit contra nostram sententiam inchoatum, maxima vis in confutatione ponenda erit: dandaque opera, ut id, quod inchoatum est, plurima, & maxima tum mala, tum inconvenientia consequi, si perficiatur, ostendamus: atque id tum aliorum, tum nostro, si poterimus, exemplo comprobandum erit: & quid vel alii, vel nos ipsi in re simili fecerimus, proponendum. Magnam enim vim habebunt ea consilia, quæ vel nobis ipsis, vel aliis profuisse demonstrabimus. Si vero res incerta fuerit, universum amici statum optime antea cognitum ante oculos proponemus: atque hinc quid illi conveniat, hinc quid fieri possit ostendemus: & tunc quidem non unum tantum illi consilium dabimus, ne si

id forte non succesſerit, omni ex parte deſtitutus ſit: ſed multa in omnem eventum conſilia quaſi quædam præſidia, locis ipſis ſingulis diſponemus: ut quocumque res reciderit, aliquid habeat amicus, quod ſequi poſſit: omnibuſque indagatis, ac perveſtigatis partibus, quid in unaquaque re boni vel mali vel declinetur, vel inſurgat, oſtendemus: noſque ſemper ad id, quod ante dixi, honeſtatis fundamentum quantum poterimus, referemus. Sed ſi omni ex parte incommoda oſtendantur, minima quæque toleranda eſſe ſuadebimus. Concluſiones autem ex ipſo cauſſæ fine aſſumemus, ut oſtendamus, quid ex eo conſilio ſecuturum ſit: aut ab officio noſtro, benevolentiaque ducemus, ut nos teſtificandi amoris noſtri, aut ſervandi officii, non dandi conſilii gratia, nos ea commemoraſſe dicamus: noſque conſiliorum omnium miniſtros, effectoreſque, quantum licebit, præbeamus. Ac de hoc quidem toto genere ſatis in præſentia dictum puto. Quoniam autem hujus voluminis magnitudo ſatis crevit, reliqua in proximum reſervabimus.

***

LIP-

LIPPI BRANDOLINI

Ad Rmum Patrem, & Dnum,

D. FRANCISCUM

PICOLOMINEUM,

Cardinalem Senensem,

De Ratione scribendi,

LIBER TERTIUS.

De Affectibus.

CAPUT I.



Bsoluto in libro superiore maximo illo, ac difficillimo docendi genere, sapientissime Pater, superest alterum illud, quod in movendis affectibus positum esse diximus: quod quidem & quia late patet, atque ad omnes pertinet, & quia magnam scriptis omnibus vim, atque auctoritatem affert, non modo cognitione dignissimum; sed maxime etiam necessarium nobis est visum. Id nos in duo genera partiti sumus: alterum, quod ad con-

concitandos, alterum quod ad leniendos, sedandosque affectus pertineret. De quo quidem toto genere, antequam dicere incipio, pauca mihi de affectibus in universum dicenda sunt. Movere enim affectus non possumus, nisi quid affectus sit, & unde originem habeat, cognoscamus. Id ego nunc, quantum ad nostram hanc institutionem necesse videbitur, paucis explicabo. Est igitur affectus vehemens quædam in rem quampiam animi commotio; id Græci πάθος vocant. Ex nostris, qui verbum de verbo exprimere conati sunt, passiones appellavere. Cicero nunc eos morbos, nunc ægritudines, nunc affectiones vocat. Nos de verbo magnopere solliciti non sumus, modo constet, id esse vehementem quamdam, ut diximus, animi passionem, & commotionem. Ea ex opinione quadam in animos nostros proficiscitur. Quoniam autem omnis opinio, aut boni, aut mali est, ut species affectuum duæ sint: una, quæ bonum, altera, quæ malum quadam opinione concipiat: his nos bonum, aut malum, aut præsens, aut futurum opinari possumus. Hæ duæ species alias rursus totidem ex sese pariunt, quatuorque omnes efficiunt: quarum duæ bonum, aut præsens, aut futurum: duæ malum, sub eadem temporis ratione, respiciunt. Ac futuri quidem boni, cu-

cupido, sive spes: præsentis, voluptas, sive lætitia nominatur: mali vero futuri, metus, sive timor: præsentis, dolor, sive tristitia esse dicitur. Ex his vero quatuor, quasi fontibus, species pene innumerabiles oriuntur: quæ quoniam non hujus institutionis sunt, non sunt a nobis omnes hoc loco explicandæ. Insignes enim attigisse, satis erit: ex illis certe cognoscentur. Sunt igitur insignes ex eo genere, quæ ad futurum bonum pertinent, amor, cupido, spes, audacia, ira: his contrariæ, quæ ad futurum malum spectant, sunt: odium, abominatio, desperatio, metus. Iræ vero nullus affectus est contrarius, propterea quod illa omnium injuriarum patiens, sive, ut rectius loquar, non sentiens natura inveniri nequeat. Præsentis boni sola lætitia, mali sola tristitia, seu dolor invenitur. Quoniam autem hi affectus omnes tum dicendo, tum scribendo, vel concitari, vel sedari possunt, sed alii frequentius concitandi, alii frequentius sedandi sunt: de singulis nunc, ut necesse videbitur, disseremus: eodemque tempore, ut breviores, dilucidioresque simus, concitandi, sedandique rationem persequemur, a prioribus potissimum incipientes.

De amore concitando, & sedando.

CAPUT II.

QUum autem affectus omnes ejusmodi sint, ut ad virtutes, & ad vitia detorqueri possint, ut amor, qui tum ad studium virtutis, & amicitiæ, tum ad libidinem, & impudicitiam applicari potest: & cupiditas, quæ tam honorum, aut pecuniæ, quam scientiæ, aut religionis, aut optimarum rerum est: ante omnia de iis concitandis, qui ad vitia pertinent, aut de iis, qui ad virtutem spectant, reprimendis, nihil mihi dicendum est omnino. Nam & homines per se satis, abundeque ad vitia proclives sunt; & nos virtutes docemus, non vitia: sed omnis nostra præceptio tum ad utiles concitandos, tum ad noxios restinguendos est accommodanda. Id autem per communes locos faciendum; nam proprios cujusque vel affectus, vel materiæ referre infinitum esset. Igitur, ut de amore primum dicamus, si quem ad amorem cujusquam, vel hominis, vel rei statuerimus allicere, dabimus in principio operam, ut quam maximam possumus benevolentiam, fidem, atque auctoritatem nobis apud lectorem comparemus. Quæ quidem tametsi in omni

omni persuasione, atque adeo in omni materia facienda sunt, in affectibus tamen movendis præcipua esse debent; amicus enim nisi assentiatur iis, quæ dicuntur, eumque qui dicat, quodammodo vereatur, non facile movetur. Ac de benevolentia quidem comparanda superius satis, abundeque diximus. Fidem comparabimus, si nos ejus rei, de qua scribimus, scientiam, aut experientiam habere ostendemus: si nos ab omni adulandi, aut fallendi suspicione liberabimus, nostramque naturam ab his rebus semper alienissimam, idque illi exploratum esse, aliquo, si opus erit, exemplo, aut testimonio demonstrabimus. Item si nostram in eum voluntatem, benevolentiam, fidem, si nostra officia, nostram amicitiam commemorabimus: si quantum ei nostra consilia, nostræ admonitiones hactenus profuerint, commemorabimus. Item si nobis eum semper credidisse, & de nostra fide periculum sæpe fecisse, propterea que debere nunc etiam nobis credere ostendemus. Item si rem ipsam a loco, a tempore, magnitudine, occasione, facultatibus, & ceteris locis credibilem faciemus. Auctoritatem comparabimus, si honestatem, virtutem, probitatem, doctrinam, gravitatem, modestiam in scribendo proferemus. Hæc autem omnia tum fidem, tum aucto-

ri-

ritatem summam nobis apud omnes comparabunt, si nos vel ætas, vel dignitas, vel potentia, vel hominum existimatio, vel nostra doctrina, vel vita commendabit. Hæc quum fecerimus, paulatim ad caussam ipsam vel apertius, vel occultius, pro caussæ ipsius qualitate descendemus: ejusque vel dignitatem, vel jucunditatem, vel utilitatem, vel commoda, vel laudem lectori proponemus: nosque de ejus dignitate, salute, commodis, gloria semper sollicitos fuisse, propptereaque nunc ad eum scribere dicemus. Atque hi in omni pene affectu movendo (ne eadem sæpius repetenda sint) communes exordiorum loci sunt. Nec tamen omnibus omnes, sed qui maxime necessarii videbuntur, singulis affectibus sunt accommodandi. Si qui erunt alicujus affectus proprii, suis locis dicentur: nunc ad amorem redeamus. Igitur quoniam amor aut in hominem, aut in rem conferri potest, si amicum attrahere ad hominem quempiam amandum statuerimus, primum quidem hominem illum magnopere commendabimus cum ab aliis partibus, a quibus præ ceteris commendari posse videbitur; tum vero ab illis, quibus is, ad quem scribimus, maxime delectatur: deinde persequemur, quibus amor maxime conciliatur, morum, studiorumque similitudinem, hu-

humanitatem, fidem, modeſtiam, urbanitatem, ſuavitatem conſuetudinis, ceteraſque virtutes, quæ hominem homini conciliare ſolent, in quibus materia latiſſime patet. Illa quoque nos ad amandum quempiam ſæpenumero incitant, ætas, patria, nobilitas, dignitas, fortuna. Nam & æquales, & cives, & nobiles, & honore, dignitate, atque auctoritate inſignes, & opibus, fortuniſque affluentes libentius amamus, quam eos, qui commune nobiſcum omnino nihil habeant, aut nulla in re nobis, vel præſidio, vel ornamento eſſe poſſe videantur. Itaque quum hæc, vel omnia, vel magna ex parte illi ineſſe oſtenderimus, utilem, honeſtam, laudabilem, jucundam, ſtabilem, perpetuamque ejus amicitiam fore demonſtrabimus: atque in ea re innumerabiles amicitiæ fructus, commoda, ornamenta, ſuavitates, voluptateſque afferre poterimus: quas perſequi, quum & latiſſime pateant, & ex Lælio Ciceronis facile diſci poſſint, neceſſe non arbitror. Illud non omittemus, a quam multis & magnis viris ſit is, de quo loquimur, eorum amicitia, & familiaritate digniſſimus judicatus, ut eorum vel exemplo, vel æmulatione, vel opinione ad amandum hominem moveatur. Si ad rei cujuſpiam amorem incitare ſtatuerimus, ejus dignitatem, utilitatem,

tem, jucunditatem pro rei qualitate explicabimus. Locos cujusque materiæ proprios ex demonstrativi generis præceptione sumemus: deinde partes eas, quas modo diximus, ad lectorem ipsum accommodabimus, easque modis omnibus expetendas esse ostendemus. Deinde quid alii de illa re senserint, quid ipsi sentiamus; quanto in precio cum ab aliis, tum a nobis ipsis, & olim habita, & nunc habeatur, multis, atque illustribus exemplis docere conabimur. Postremo quantum ea res ad illius, vel rationes, vel consilia conferat, quam sit ad bene, beateque vivendum, vel utilis, vel necessaria demonstrabimus. Si autem revocare amicum ab indigno aliquo, & turpi amore, aut consuetudine studebimus, dabimus in principio operam, ut intelligat, quam studiosi salutis, ac dignitatis ejus, quam solliciti semper fuerimus, atque hodie quoque simus: caussasque hujus nostri studii, vel veterem amicitiam, vel clientelam, vel virtutem, vel nobilitatem ejus, vel aliam quamvis honestam caussam explicabimus: idque ita fuisse, aliquo insigni exemplo, aut testimonio comprobabimus. Deinde ad caussam pedetentim accedemus, ostendemusque nos, ut id scribamus, neque odio, neque invidia, neque tædio, neque satietate, neque imprudentia,

tia, neque temeritate, neque ulla malignitate animi esse adductos: sed abundantia quadam benevolentiæ, quod illam magnam infamiam, magnum detrimentum, ac periculum fugere cupiamus. Deinde in universum de toto ejus turpitudinis, aut amoris genere disputabimus; genusque ipsum summopere detestabimur. Tum ad rem, de qua agitur, veniemus, quantumque in ea vel obscœnitatis, vel turpitudinis, vel flagitii sit, quantum poterimus, aperiemus. Deinde quas partes superius ad amorem conciliandum adduximus, earum contrarias ad reprimendum adducemus. Ostendemus enim, quanta in re sit turpitudo, quantum detrimentum, quanta pernicies, ignominia, molestia, inconstantia, quanta præterea sit rerum omnium dissimilitudo, quanta inæqualitas. Deinde quid ex ea re evenire soleat, exemplis ostendemus. Quid illi eventurum sit, ex aliorum comparatione demonstrabimus. Postremo quantopere cum ab aliis, tum a nobis ea res semper evitata sit, quantoque studio sit ei quoque, si modo suæ dignitati, salutique consulere velit, evitanda, multis atque acribus verbis aperiemus: atque ita rem in summum odium adducemus. Quemadmodum autem amor odio, ita odium amore sedatur; contraria enim contrariis, ut fri-

gus calore, lux tenebris, expelluntur. Si cujus autem odium in nos, aut in alium sedare, & amicos inter se reconciliare statuerimus, primum quidem odii caussas persequemur, easque fictas, falsas, inanes, parvasque esse docebimus: & nostram, vel illius, de quo agetur, innocentiam ostendemus. Deinde turpe esse dicemus eum, quem amaveris, odisse: quem laudaveris, vituperare: & quale amici judicium de altero esse debeat; quale illud videri possit, ostendemus. Tum quid in odio mali, quid boni in amore sit, quid ex utroque sequi soleat, aperiemus. Si vero susceptum odium jure videbitur, ad misericordiam, & clementiam confugiemus: utcunque sit, amicitiam in posterum firmam pollicebimur: ostendemusque nostrum, vel ejus, de quo scribimus, amorem in amicum, etiam ipso odii tempore non esse imminutum, nosque, aut illum in officio semper fuisse, atque in posterum fore. Ac de amore quidem, & odio satis.

De cupiditate incitanda.

CAPUT III.

Amorem cupiditas sequitur ordine, non præceptionis modo, sed ipsius quoque

que naturæ; ita enim a natura comparatum eſt, ut id quod bonum eſſe ducimus, primum quoquo modo cognoſcamus, deinde amemus (amare enim niſi nota non poſſumus) tum cupiamus (ea enim, quæ amamus, facile cupimus, poſtea ſperamus) (cupiditas enim aſſequendi, ſpem potiundi erigit) deinde aggredi audeamus, quod niſi ſucceſſurum ſperaremus, a nobis nunquam fieret. Spes enim potiundi, aggrediundi audaciam ex ſeſe parit. Poſtremo voti compotes, eo, quod quæſivimus, perfruimur: unde lætitia illa geſtiens proficiſcitur. Igitur, ut ad cupiditatem redeamus, ea partim laude, partim vituperatione digna eſt, ita ut & virtutum, & vitiorum quidam quaſi fons exiſtimari queat. Nos enim nunc ad ſcientiam, virtutem, gloriam, immortalitatem, beatitudinem, & cetera laudabilia ſtudia & ducit, & trahit: nunc ad pecuniæ, honorum, & voluptatum ſtudium, hoc eſt ad avaritiam, ambitionem, libidinem, & cetera vitia humano generi pernicioſiſſima, ſtimulis quibuſdam, & quaſi flammis incendit. Siquem igitur ad priorum rerum ſtudium inflammare voluerimus, ſuperiori præceptione utemur, atque eas, quas ſupra dixi, partes, dignitatem, utilitatem, jucunditatem in ea, de qua agetur, re conſiderabimus. Nam ſi quempiam ad ſcientiæ ſtu-

dium incitabimus, ipsius dignitatem tum ab antiquitate, tum ab inventoribus, tum a subjecto, tum a fine, tum ab his, qui eam studio, vel honore, vel præmiis prosecuti sunt, poterimus demonstrare. Utilitatem ab omnis vitæ, ætatisque institutione, ab omnium artium inventione, ab omnium rerum tum notitia, tum administratione sumemus. Quæ partes singulæ si dividantur, atque amplificentur, maximam vim argumentorum, materiamque ad scribendum amplissimam præbebunt. Jucunditas eodem modo ab omni vitæ, ac fortunæ genere, & rerum omnium cognitione petetur. Ostendemus præterea cognitionis, & scientiæ cupiditatem homini non ab homine, aut casu aliquo, sed ab ipsa rerum omnium parente natura, hoc est a Deo datam. Exemplis postremo clarorum omnis generis virorum agemus, lectoremque ad eorum, quos audierit, viderit, legerit, æmulationem, quantum poterimus, incitabimus. Eadem de omni virtute ratio erit. Gloriam virtutum, & rerum gestarum in hac vita præmium esse, oportebit ostendere: eam non ab hominibus tantum, sed a ceteris quoque animantibus expeti, equorum maxime exemplis comprobabimus. Tum quid gloriæ caussa homines in omni vita, & fortuna gesserint, quæ pericula adierint,

quam

quam multi etiam ultro mortem oppetierint, ostendemus: lectoremque eorum exemplis, & imitatione ad aliquod praeclarum facinus inflammabimus. Ad eam rem ingenium, materiam, tempus, opportunitatesque omnes illi adesse ostendemus. Immortalitatem non ab animalibus tantum, ut gloriam: sed ab inanimatis quoque rebus, ut plantis, ac lapidibus expeti, optarique docebimus. Omnia enim, quantum natura liceat, diuturnitatem, & sui conservationem affectant. Ad eam nos genitos esse, ex intellectus, & rationis magnitudine, & ceteris animæ partibus demonstrabimus. Posse autem virtutibus, rebus gestis, & literarum monumentis facillime comparari, clarorum omnis generis virorum, quorum memoria sempiterna sit, exemplis ex antiquitate repetitis, ostendemus: ad eamque consequendam lectorem propositis facultatibus incitabimus. Ad beatitudinis cupiditatem tum præsentium miseriarum enumeratio, tum futurarum explicatio lectorem satis, abundeque eriget. Utramque rem; quoniam latissime patet, neque hujus institutionis est, pro sua quisque prudentia, & cognitione tractabit. Ac hæc ad incitandam cupiditatem pertinent.

De contemptione pecuniæ, honorum, gloriæ, & voluptatis.

CAPUT IV.

SEdatur autem hic affectus, restinguiturque contrario, ut de amore, odioque docuimus. Contrarius porro cupiditati affectus ab aliis contemptio, ab aliis abominatio, ab Aquinate Thoma fuga nuncupatur: quæ quidem ad vitiorum destitutionem maxime pertinet. Habent autem vitia locos tum communes omnibus, tum singulos, & proprios. Communes sunt: nos ad virtutem, non ad vitia esse natos: animam nostram optimo quoque habitu imbuendam, & tanquam pulcherrimum agrum optimis frugibus, ac plantis excolendam esse: fruges animæ, virtutes: vitia, dumos, carduos, herbas esse, quæ non animam solum, sed corpus etiam excrucient, vexent, atque enecent: virtutibus præterea honores, dignitates, opes, imperia, nobilitatem, & præmia ingentia comparari: vitiis ignominiam, inopiam, obscuritatem, servitutem, & sordes sempiternas acquiri: pœnas denique, & nunc multis modis graves persolvi, & post mortem æternas expectari. Alia item multa hujus ge-

generis excogitari possunt, quæ si amplificentur, latissimum ad scribendum campum patefacient. Proprii singulorum vitiorum loci, & innumerabiles sunt, & ad philosophum magis pertinent: nos tamen susceptæ institutionis gratia paucos, atque insignes persequemur. Igitur si pecuniæ cupiditatem detestabimur, de usu pecuniæ disputabimus, finemque ejus rei usum, non accumulationem esse docebimus: eum neque majorem ex ingenti, neque ex parvo minorem capi posse ostendemus. Deinde quanta sit in mediocritate, & liberalitate animi alacritas, tranquillitas, securitas: quanta inde commoda tum corporis, tum animi consequamur. Quanta contra in pecuniæ appetentia solicitudo, quanti labores, pericula, incommoda, jurgia, tormenta subeantur: quam multi ob eam rem servitutem, cruciatus, mortemque subierint: quam multorum malorum caussa, & fomes pecunia sit: quantopere corpus, animumque effeminet, quam infinita, insatiabilis, & importuna sit: eam a sapientibus nunquam expetitam, propterea quod & virorum, & cupiditatum, & curarum omnium quasi parens sit existimata. Postremo quis ejus finis esse possit, indagabimus; quam multis modis partæ divitiæ dilabantur, quo pacto ab invitis relinquantur, ostendemus: ita ut

avaro tam defuisse quod habuerit, quam quod non habuerit, doceamus. Si ad honorem, aut gloriæ contemptionem impellere quemquam studebimus, primum ostendemus quanta in ea re comparanda sit difficultas, quantis laboribus, periculis, incommodis, curis, ac molestiis obnoxios nos esse oporteat, quam gravem, quam diuturnam, quam indignam servitutem subire, quam turpiter atque ignominiose agere; quibuscum versari, quibus adulari, quibus subjici honoris, & gloriæ caussa compellamur. Deinde quam sæpe hæc omnia frustra suscipiamus, quum ea, quæ volumus, non consequamur. Atque hæc exemplis eorum docebimus, qui suæ ambitionis pœnas dedere. Deinde quam ea res inanis, fluxaque sit tum ab ipsius rei natura, tum ab his, a quibus proficiscitur, ostendemus; honor enim per se vana quædam, & inanis hominum existimatio, aut confessio est, quæ laudem, aut dignitatem alicui tribuit. Ea nunc ficta, nunc falsa, nunc vana, nunc etiam invita est, pro eorum, qui deferunt, mente; alii enim honorem hominibus suæ utilitatis gratia tribuunt, quod inde se aliquid consecuturos sperent: alii sui honoris gratia, quod quum illos ornent, ornari se putent: alii falso quodam, vulgarique judicio, quod illos honorari ab aliis, & apud principes gra-

gratiofos esse videant: nonnulli etiam metu, quod illorum potentiam reformident. Quas caussas quum omni ex parte indagaverimus, qualis honor sit, qui ab illis proficiscitur, ostendemus. Tum a quibus honor expectetur inquiremus: & quam stultum sit ex imperitæ multitudinis judicio pendere, demonstrabimus. Deinde etiam quam falsum, quam inane, quam instabile vulgi judicium esse soleat, aperiemus. Hic exempla eorum afferemus, qui ex summis honoribus in summam ignominiam devenere. Postremo, quis honorum, aut gloriæ sit finis, indagabimus: quem quum aut laudem, aut famam, aut vulgi consensum, benevolentiamque, aut vanum aliquid esse constiterit, ostendemus neque in nostra potestate, ut eum vel mereamur, vel retineamus, situm esse. Nam & datur sæpe non merenti, & habenti sine caussa aufertur. Neque eum ad nos post mortem pertinere: nam si anima cum corpore extinguatur, nihil sentiet: sin immortalis sit, vel non curabit hæc, quia bonis majoribus perfruetur: vel hac de caussa magis dolebit, quia pœnas suæ stultitiæ, & cupiditatis dabit. Denique fama paucorum annorum, si cum æternitate comparatur, non modo non appetenda, verum etiam contemnenda, ut res levissima, ac brevissima judicabitur. Si vero corporis

poris voluptatum cupiditatem sedare scribendo studebimus, primum eas, quæ ab hominibus existimantur, non esse voluptatis, sed naturæ necessitatem contendemus: naturam enim vel exinanitam repleri, vel repletam exinaniri cupere. Deinde etiam si voluptates sint, tam breves esse, ut prius abeant, quam venisse sentiantur; tantis vero laboribus, incommodis, periculisque parari, ut vel ob id solum optabiles esse desinant; deinde etiam noxias, ac perniciosas non animis modo esse, sed corporibus quoque, multis rationibus, atque exemplis ostendemus. Postremo, turpe atque indignum esse dicemus, quas voluptates communes cum belluis habeamus, in quibusque ne ipsæ quidem belluæ volutentur, his potissimum nos obrui, atque immergi. His atque aliis hujus generis rationibus non modo non optandas, sed fugiendas etiam voluptates esse demonstrabimus. Sed de cupiditate quidem, & contemptione hactenus, cetera petantur a philosophis.

De spe, ac desperatione.

CAPUT V.

SEquuntur spes ac desperatio, quæ conjunctam cum cupiditate tractationem ha-

habent: iiſdem enim pene rationibus ſpes & cupiditas & augetur & diminuitur. Quemadmodum autem contemptione cupiditas, ita ſpes deſperatione: item ut cupiditate contemptio, ita ſpe deſperatio tollitur. Sed ne omnino præteriiſſe hos affectus videamur, de his quoque pauca dicamus. Igitur ſiquem ex deſperatione rerum ſuarum in ſpem adducere, atque erigere conabimur, primum quidem ejus infortunium extenuabimus, & accidiſſe aliis ſæpenumero plura, & graviora oſtendemus. Deinde magno animo quamcumque fortunam quæcumque ea ſit, tolerandam eſſe docebimus, neque forti viro unquam aut deſperandum, aut cedendum. Tum eſſe illi malo remedium oſtendemus, & quo pacto id invenire poſſit, aperiemus: deinde hominem paulatim quaſi ad certamen revocabimus, & in ſpem victoriæ paulatim erigemus. Ad eam rem commoda facultates, occaſiones, inſtrumenta, adminicula omnia quaſi faces quaſdam, & aditus patefaciemus, eumque ad inceptum capeſſendum certo rei eventu propoſito, magis oſtenſis præmiis, cohortabimur. Siquid difficultatis, aut incommodi ineſſe videbitur, aut confutando diluemus, aut extenuando minuemus, aut diſſimulando reticebimus, omnia levia, facilia, & certa reddemus. Si nihil ei acciderit

derit mali, quem erigere in ſpem ſummam ſtatuerimus, omiſſis prioribus locis, nihilominus ſequentibus utemur. Si autem minuere, ac labefactare ſpem cujuſquam ut falſam, inanemque velimus, ſuperiores locos in contrarium ducemus, atque omni ex parte rem duram, difficilem, incredibilem, dubiam, impoſſibilemque reddemus: oſtendemuſque pro noſtra in eum benevolentia nolle eum in re incerta ſpem certam collocare, atque ita nobis eſſe viſum dicemus. Atque hic optimus quidem in principio locus erit. Exemplis præterea utemur eorum, qui ex ſpe magna, & pene certa deciderunt, neque credendum aut principibus, aut opibus, aut conjecturis, aut meritis, aut ullis denique adminiculis eſſe dicemus. Contentum ſua quemque fortuna eſſe oportere: imponendum autem ſpei & cupiditati modum: atque hoc in primis eſſe ſapientis. Hoc loco tum de fortunæ levitate, tum de continentia, & moderatione diſſeremus, & quantum in mediocritate boni, quantum contra mali in luxuria, & cupiditatibus ſit, pluribus argumentis oſtendemus. Atque hæc ad ſpem minuendam pertinent. Siqua præterea ſunt, quæ ad levandam deſperationem pertineant, ea a nobis in conſolandi ratione dicentur.

De

De audacia & metu.

CAPUT VI.

PRoximi ſunt his audacia, & metus, quorum alter magis excitandus, alter magis reprimendus eſt, uterque tamen pendet ex altero. Igitur ſi metum repellere, atqne audaciam accendere conſtituerimus, primum quidem dabimus operam, ut metus cauſſam diligenter indagatam quantum poſſumus, extenuemus: eamque vel falſam, vel inanem, vel ineptam, vel parvam eſſe oſtendemus: neque debere ullum his rebus aliquo pacto commoveri dicemus; & quam turpis ſit in homine tum formido, tum ignavia, utriuſque effectibus, atque exemplis demonſtrabimus. Deinde hominem ad id quod volumus, audendum, propoſita rerum gerendarum, ſive virtutum mercede, ea, quam ille digniſſimam, & cumulatiſſimam putet, incitabimus. Tum de animi magnitudine, & audacia in rebus gerendis diſputabimus, eamque rem pulcherrimam atque honeſtiſſimam rationibus & exemplis maxime illuſtribus faciemus. Labores & pericula omnia, tum extenuanda, tum contemnenda eſſe dicemus: neque deterreri fortem virum aut laborum, pe-

periculorumve magnitudine, aut vinculorum tormentorumque, atque ipsius denique mortis metu oportere. Hoc loco exemplis æqualium, aut etiam si poterimus, minorum, qui vel eadem, vel similia gesserint, hominem inflammabimus: atque ad eos æmulandos, aut etiam superandos incitabimus. Quod si is claris majoribus ortus sit, ut vel illos virtute superet, vel ab illis certe non degeneret, admonebimus. Postremo eum ad clarissimi cujuscumque æmulationem provocabimus. Si vero temeritatem cujusquam atque audaciam reprimemus, his locis in contrarium versis, omnia aspera ac difficilia faciemus. Dicemus enim, neque pericula temere suscipienda, aut labores frustra sumendos esse: neque fortunam cœptis nostris semper arridere, aut audaciam nostram prosperum semper eventum sortiri: neque nostris viribus, aut nostro ingenio usque adeo confidendum esse, ut non plurimum etiam in aliorum consilio, & prudentia reponamus. Quo loco quanta vis sit consilii, & prudentiæ, differemus; hominemque ad consilium, & rationem revocare conabimur, neque fortitudinem eam esse, quæ consilio, & ratione careat, exponemus. Et in hanc sententiam plura dicemus, ostendemusque ita majores ejus, ita clarissimum quemque fecisse, ita illum

illum quoque facere oportere: quantaque eum vitæ laus, & vitæ tranquillitas, si ita fecerit, quanta contra ignominia, quanta incommoda, ac pericula consequantur, si contra fecerit, ostendemus: metumque illi tum infamiæ, tum periculorum, tum tormentorum, tum etiam mortis, quantum poterimus, injiciemus. Si vero aut ceterarum rerum, aut mortis metum sedare, & repellere decreverimus, nihil esse in illis mali, aut etiam aliquid inesse boni, contendemus, locisque communibus, atque exemplis constantiæ id comprobabimus: omnia virtuti & gloriæ tribuemus: pro ea neque exilium, neque vincula, neque tormenta, neque ullum genus mortis timendum esse: idque multis atque illustribus exemplis eorum, qui hæc pro patria, aut fide, aut pro virtute pertulerunt, abunde docebimus: quanta eos gloria atque immortalitas consecuta sit, quanta nos quoque apud posteros maneat, aperiemus: mortem vero naturæ finem esse, qui quum & certus, & communis omnibus, & necessarius sit, timeri non debeat. Ita enim aut nihil mali, si omnia dissolvantur: aut plurimum boni, si animæ maneant, existere necesse est: tum hominem ad conscientiam bene actæ vitæ, & ad nostræ Religionis veritatem, ac justitiam revocabimus: eumque cer-

certissimam, atque amplissimam vitæ suæ mercedem sperare; atque expectare jubebimus. Atque de metu sedando in præsentia hæc satis sint. Si qua deesse videbuntur, in doloris, & mortis consolatione dicentur.

De Ira.

CAPUT VII.

Audaciæ finitima ira est, quam diximus affectu carere contrario, propterea quod stupida illa, & omni injuriarum sensu carens natura non reperiatur: sed ejus loco virtutes habet, mansuetudinem & clementiam. Iræ autem duo genera plerique fecere, alterum, quod ad punienda errantium delicta: alterum, quod ad ulciscendas injurias dicunt pertinere. Superius illud genus humano generi utile admodum, & necessarium putant ita, ut Deo quoque concedere id nostri non dubitent: posterius noxium omnino ac perniciosum est. Illud itaque nobis excitandum, hoc reprimendum, atque extinguendum est. Siquem igitur ad punienda delicta, pœnasque de reis sumendis incitari decreverimus, duo potissimum considerabimus, caussam, & personam. In caussa de criminis specie, & magnitudine disputabimus: idque a tempore, loco, modo, sociis,

sociis; facultatibus, instrumentis, & ceteris partibus, quæ augere aliquid possunt, majorem in modum augebimus. Quod si plura crimina fuerint, cum accumulatione, & atrocitate enumerabimus: sin unum fuerit, id plures in partes amplificando dividemus, & ex uno plura faciemus. Persona duplex est, rei, & judicis: hoc est, ejus qui puniendus est, & ejus qui puniturus est, ad quem ipsi scribimus. In reo considerabimus sexum; alia enim maribus, alia feminis fœdiora sunt: ætatem; non enim omnia omni ætati concessa sunt, atque alia alii ætati turpiora: conditionem; nam servorum & subditorum in superiores crimina graviora sunt: statum, ut liberorum crimina in parentes atrociora esse dicemus: fortunam; quanto antecellit, tanto ejus crimina graviora, insignioraque sunt. Considerabimus præterea voluntatem, atque inde, si malo animo fecerit, caussam augebimus: consuetudinem, ut si id crimen sæpe numero commiserit: audaciam; quo loco, & quantum facinus aggredi ausus sit, & quid in posterum ausurus esse videatur, crescente semper audacia, ostendemus. Ab ejus, ad quem scribemus, persona, iisdem rationibus crimen augebimus, indignumque esse dicemus eum, qui grandior natu, qui dominus, qui pater, qui magistratus sit,

 qui

qui denique punire & possit, & soleat, sceleratis impunitatem permittere: quantumque ex eorum supplicio universis commodum, quanta civitati quies, quantus improbis in posterum terror, quanta illi ipsi justitiæ, & severitatis fama accessura sit: quam contraria omnia sint futura ex eorum impunitate, singillatim explicabimus. Si autem posterius illud iræ genus, quod ad ulciscendas injurias spectare diximus, compescere, ac sedare statuerimus; eadem rerum,& personarum divisione utemur: atque in rebus quidem, a quibus partibus crimen augendum esse diximus, ab iisdem injuriam extenuabimus. Personarum quoque eadem facienda distinctio erit: atque ab iisdem locis minuenda injuria, omniaque ad animi mansuetudinem, clementiam, & animi magnitudinem referenda: ostendendumque esse majorem in condonanda injuria clementiæ, atque animi magnitudinis laudem; quam in persequenda ultionis voluptatem. Ad hanc illum etiam rationibus, & exemplis clementium virorum, quoad fieri poterit, incitabimus: ostendemusque cum superioribus quidem, quibus par esse non possis, certare stultum esse: cum paribus, ambiguum: cum inferioribus vile, & indecorum. Illud præterea est ultionis genus, cum is se contemni, & pro nihi-
lo

lo haberi videt: quæ quidem & alia ejusdem generis, quum dixerimus, exemplisque confirmaverimus, ejus animi magnitudinem, & clementiam commendabimus, ad ejusque laudem appetendam hominem summo studio; atque omnibus orationis viribus inflammabimus, & cum deprecatione misericordiam a communibus locis commovebimus. Atque hæc de ira satis, nunc ad reliquos affectus pergamus.

De lætitia, & jocis excitandis.

CAPUT VIII.

RESTANT ex omni affectuum ratione duo, qui a præsenti boni, & mali opinione proficiscuntur: lætitia illa gestiens, quæ ab aliis gaudium, ab aliis voluptas appellatur: & dolor, sive, ut Cicero appellat, ægritudo. Horum uterque reprimendus est: lætitia vero nonnunquam etiam excitanda. Igitur de ea primum dicamus. Excitatur scribendo lætitia aut universa re, aut partibus universæ, quum aliquid amico per literas nunciamus, quod illi jucundum, atque optatum esse scimus: ut opum, honorum, dignitatumque accessio, patriæ fortunarum, ornamentorumque restitutio: liberorum, propinquorum, atque amicorum

ſalus, valetudo, dignitas, & quæ ſunt generis ejuſdem: quæ gratiſſima eſſe audienti ſolent, præſertim quum præter ſpem, atque opinionem acciderunt. Excitant etiam illa voluptatem audienti, quæ voluptatem attulere ſpectanti: ut quum triumphus, convivia, nuptiæ, ludi, ſpectaculaque omnis generis viſa narrantur, in quibus tum res ipſæ, tum narrandi modus delectationem affert; nam ſi nudam & ſimplicem narrationem habeant, lectorem non ſane multum movent: ſin in illis crebræ digreſſiones fiant, quædam incredibilia, ſubita, inopinata, ridicula referantur: ſi tota narratio lepore quodam, & ſalibus reſpergatur: ſi ſingulorum mores, ſermones, actiones, cum eorum imitatione narrentur: ſi denique ſingula quaſi oculis ſpectanda proponantur, ea demum narratio voluptatem affert. A partibus voluptas excitatur, quum vel in verbis, vel in rebus jocamur; jocandi in rebus Cicero duo genera libero homine digna eſſe dicit, narrationem, atque imitationem. Narratio eſt alicujus factæ, vel fictæ rei cum lepore expoſitio ad id, de quo loquimur, accommodata: ut apologus, ſimile exemplum, comparatio, res geſta, quæ aliqua de cauſſa ridicula, jocoſaque ſit. Jocus autem & riſus excitatur multis modis; ex ambiguo, quum aliud dicimus, & aliud

& aliud dicere videmur, vel aliud intelligi volumus: ut ſi quis de ſervo furace dicat, hic eſt, cui nihil domi occluſum, obſignatumque ſit: quod etiam fideli ſervo convenit. Ex imagine, quum ejus rei, de qua loquimur, imaginem a re quadam inopinata, & diſſimili ducimus: ut ſiquem peſſime canentem aſino rudenti, aut ſi præpinguem hominem dolio comparemus. Ex errore, quum vel ipſi nos erraſſe fingimus: ut ſi avarum, qui ſe veniſſe dicat, interrogemus, Quanti? quaſi venalem exiſtimaverimus: vel alios in errorem ducimus; quale eſt illud Martialis in Codrum, quem plurimum credere, non quia pecunioſus eſſet, ſed quia cæcus amaret, affirmabat. Sed ex his rebus jocus potiſſimum exiſtit, quæ præter ſpem atque opinionem vel dicuntur, vel accidunt: cujus generis infinitæ pene ſpecies reperiuntur. Imitatio eſt, quum alterius ſermonem, mores, naturamque effingimus: ea dicendo, atque agendo magis, quam ſcribendo utimur; licet tamen ſcribendo quoque apud familiariſſimos quorumdam ſermones, qui nobis ridiculi videantur, effingere. Mores vero, & naturam aliquorum quadam cum venuſtate deſcribere, ridiculum in primis, & jocoſum eſt. Verba vero tam multis modis jocum, & riſum excitant, ut difficile atque incredi-

 bile

bile dictu sit;nunc enim transferuntur,nunc invertuntur, nunc mutantur, nunc transmutantur, nunc aliam in partem, nunc in aliam significationem accipiuntur : nunc, vocalibus tantum mutatis, eædem consonantes servatæ in aliam, quæ a proposito non discedat, sententiam transferuntur: atque omnia aut fallunt, aut alludunt, aut derident, aut mordent, aut contemnunt, aut in alium sensum detorquentur. Sed quoniam hæc, natura, non arte perficiuntur, supervacuum de his præcipere quicquam videtur; nam siquis ineptus natura sit, atque ex arte jocari volet, non magis id prospere, ac decenter faciet, quam asellus is, qui est apud Æsopum, qui quidem blandiri domino quum vellet, cum prioribus pedibus, & ruditu immenso, atque intempestive invasit. Jocari itaque unumquemque natura, & consuetudo doceat, necesse est. Materiam inter amicos pro cujusque natura, res,quæ quotidie accidunt,satis, abundeque præbebunt. Modus ex amici natura, & nostra consuetudine,ac familiaritate statuetur. Illud non in scribendo modo, sed in omni quoque oratione, & sermone cavendum, ne aut scurrilia, aut obscœna proferamus : ne, dum urbani esse cupimus, scurriles, impudicique habeamur. Ac de jocis quidem hactenus.

De

De lætitia reprimenda.

CAPUT IX.

SI autem reprimere gestientem illam, atque immodicam lætitiam moderari tentabimus; quum rationem nostri consilii atque admonitionis nostræ in principio aperuerimus, omnesque invidiæ suspiciones a nobis, iis, quas supra ostendimus, rationibus amoverimus, de immodica lætitia in universum disputabimus: ostendemusque primum, quam multorum malorum ea caussa, radixque sit, quippe quæ insolentiam, superbiam, jactationem falsæ gloriæ, cupiditatem, impatientiam, levitatem, luxuriam, segnitiem, ignaviam, inertiam, atque innumerabilia vitia ex sese pariat. Deinde quam ea res inanis, brevis, caducaque sit, aperiemus: & quam sæpe in contrarium verti soleat, ex quacunque re profecta sit, multis ac variis exemplis comprobabimus: idemque in omni lætitiæ, ac prosperitatis genere accidere, singillatim per omnes vitæ status, ac species discurrentes, ostendemus. Inde ad caussam pedetentim accedentes, eam rem, de qua ille gestiat, maxime fluxam atque inanem esse ratione aliqua demonstrabimus: & quid eum

ad insolentiam superbiamque efferat; quæ contra in ea re pericula, atque adversa metuenda sint, ex aliorum, quibus idem acciderit, exemplo perscrutabimur, timendaque omnia, quæ accidere possint, illi esse dicemus: quæ si accidant, quid facturus sit, & quam turpiter de summo gradu in infimum sit casurus, interrogando investigabimus. Quum autem quid in ea re mali sit, atque esse possit ostenderimus, quid in moderatione boni sit, quæ inde quies, quæ salus, quæ auctoritas, quæ gloria, qui denique fructus proveniant, explicabimus, ad eosque percipiendos, atque amplectendos, illum, & ejus, & nostra, & ipsius rei caussa, cohortabimur.

De mœrore, sive ægritudine sedanda.

CAPUT X.

Mœror autem, sive ægritudo, quæ una ex omnium affectuum ratione reliqua est, quum animum præsentis mali opinione conficiat, non excitanda stimulis, sed consolatione aut tollenda omnino, aut quantum fieri potest, sedanda, comprimendaque est. Quoniam autem ægritudo multiplex est, multiplex quoque consolatio adhiberi solet; quæ quidem res quum & ad phi-

philoſophos tota pertineat, & ita late pateat, ut de ſingulis ejus generibus ſingula tum a Græcis, tum a noſtris volumina & olim ſcripta ſint, & (ut ego compertum habeo) nunc quoque ſcribantur, tractari a nobis pluribus verbis nec debet, nec poteſt. Sed ne reliquiſſe pulcherrimam operis partem intactam videamur, capita tantum quædam in ſingulis generibus ſummatim attingemus, ut ex iis unicuique aditus ad cetera præbeatur. In omni autem conſolatione tria illa potiſſimum, quæ Cicero docet, quaſi fundamenta quædam nobis ſequenda etiam cenſeo: primum, ut in re boni plurimum, aut nullum malum, aut quam minimum malum eſſe doceamus: Deinde, ut de communi vitæ conditione, aut de ejus ipſius, ad quem ſcribimus, propria diſputemus. Tertio, ut ſummam ſtultitiam eſſe doceamus, fruſtra confici mœrore, quum intelligamus ea ratione profici nihil poſſe: quæ quidem quum omni ægritudini communia ſint, qua ratione poſſint ſingulis generibus accommodari, nunc breviter ſubjiciemus.



De

De consolatione paupertatis.

CAPUT XI.

OMnis igitur ægritudo, ut breviter complectamur, aut ex opum, aut ex honorum, aut ex patriæ, aut ex suorum, aut ex valetudinis amissione suscipitur. Si quem aut ex opum amissione, aut etiam inopia mœrentem consolabimur, primum quidem ostendemus, quam multa, ac magna ex divitiis mala nascantur, ut ignavia, luxuria, libido, avaritia, odia, contentiones, cædes, bella, urbium eversiones, & quæ sunt generis ejusdem: quantas etiam hominibus curas, sollicitudines, molestias, quantos labores, opum tum comparatio, tum conservatio afferat. Perpauca vero ad usus vitæ necessaria sunt, ut nihilo plus dives, quam pauper vel vivens consumat, vel moriens secum auferat: quanto vero cum dolore opes a morientibus relinquantur, & quibus sæpe relinquantur. Deinde paupertatem omnibus his malis carere, singillatim ostendemus, ejusque innumerabilia bona superioribus malis contraria explicabimus. Quæ vero in ea, vel mala, vel incommoda esse existimantur, ea nos partim negando, partim confutando, partim extenuan-

nuando, partim bonorum magnitudine compensando, aut omnino dissolvemus, aut quam maxime levia, & tolerabilia faciemus. Deinde ad communem vitæ conditionem conversi, jubebimus considerare, quam pauci divites, quam multi pauperes sint: quo loco plurimos in eadem, qua illi, quos consolamur, sunt fortuna, plurimos etiam in deteriore constitutos, omnis generis viros ostendemus: neque vero divitias, ut præmium virtutis, optandas esse, quibus pessimus quisque maxime affluat: neque paupertatem, ut crimen aliquod, aut turpitudinem refugiendam, quam optimus quisque semper adamaverit, esse dicemus. Atque hoc exemplis tum sanctissimorum virorum, tum doctissimorum hominum demonstrabimus: qui opes non modo, quum abessent, non quæsivere: sed, quum adessent, etiam aliis, atque aliis rationibus abjecere. Ex quo fiet, ut opes, si non contigerint, non sint appetendæ: si amissæ sint, non sint requirendæ. Deinde eum, ad quem scribimus, suorum bonorum enumeratione consolabimur, atque ad eorum contemplationem, fruitionemque cohortabimur. Postremo dicemus, facultates illi ad vivendum necessarias neque pro sua virtute deesse posse, neque si desint, magno esse labore conquirendas.

De

De consolatione amissorum honorum, & patriæ.

CAPUT XII.

Eadem in honorum, dignitatum, ac potentiæ, quæ in opum amissione, consolandi ratio erit. Primum enim ostendemus, quantis illa laboribus, curis, molestiis, & periculis comparentur, quantisque serventur: quam vero fluxa, inania, atque instabilia sint, & in quorum potestate constituta. Quæ contra sit privati hominis vita, quæ quies, quæ securitas, quæ tranquillitas, quæ denique beatitudo; deinde nihil esse mali in earum rerum amissione contendemus, quæ neque virtutibus comparentur, neque vitiis amittantur. Culpam omnem tum in fortunæ varietatem, levitatemque, tum in ipsarum rerum naturam conferemus. Ei rei constantiam, patientiam, prudentiam, & ceteras virtutes opponemus, quarum exercendarum gratia hæc accidere divinitus permittuntur. Hic exemplis illustrium virorum, quibus idem in omni genere acciderit, multis utemur. Hominem deinde tum ad inferioris fortunæ contemplationem, tum ad privatæ vitæ commoda, tum ad eorum, quæ eripi non pos-

possint, bonorum; si non habeat, adeptionem; si habeat, fructum, & conservationem, omni alia sublata cogitatione, revocabimus. Siquem autem patriæ amissione mœrentem consolabimur, primum de populorum levitate, stultitia, & iniquitate in universum disputabimus: ostendemusque quam multi sint a suis civibus immerito ejecti, qui paulo post aut frustra desiderati sunt, quum in patriam reverti nollent; aut cum magna sua gloria revocati. Hic optimum etiam exilium esse, cum a malis & factiosis civibus disceditur, ita ut ultro etiam sit ex tam iniqua, aut ingrata patria migrandum, demonstrabimus: exemplisque eorum utemur, qui civium suorum aut vitiis, aut factionibus, aut ingratitudine offensi, patriam ultro reliquere. Deinde siquid proprium de ejus ipsius patria, civibusque habebimus, in medium afferemus. Nominis autem ignominiam, præsertim si injuste damnatus sit, non esse timendam; illic enim exilium esse, ubi virtuti locus non sit: exemplis eorum utemur, qui multo clariores exilio, illustrioresque fuere, quam si in patria perpetuo mansissent. Quo loco virtutem ejus collaudabimus, eumque multo clariorem, acceptioremque apud omnes nationes hoc exilio fore ostendemus. Exilii quoque nomen in peregrinationem commu-

mutabimus: atque eo modo levius, atque tolerabilius faciemus. Quod si is propterea doleat, & se miserum arbitretur, quod sibi extra patriam vivendum sit; primum quidem ostendemus, si ita esset, plenas omnes provincias miserorum futuras esse, in quibus tam multi, ac tandiu peregrinentur; hic ostendemus, quam multi mercaturæ, quam multi doctrinæ, quam multi etiam voluptatis gratia & olim peregrinati sunt, & hodie peregrinentur; nostri enim temporis exempla ad omnem consolationem valebunt plurimum; nam veterum facta tanquam incredibilia, & a scriptoribus ficta leguntur. Eos itaque potissimum commemorabimus, qui noti, illustresque sint: & aliqua de caussa semel egressi, in eam postea nunquam reverterint: illum vero nullo modo patriam amisisse dicemus, sed in ea rerum gestarum gloria, & multarum virtutum memoria & nunc permanere, & perpetuo permansurum: de habitatione modici temporis, aut de sepultura corporis sollicitum illum esse non debere. Si bonorum amissionem doleat, exiguarum opum gratia illum commoveri non oportere dicemus, qui majoribus rebus non commoveatur: & opes illi nullo loco defuturas. Si suorum vel civium, vel propinquorum desiderio teneatur, eos extra patriam videre fa-

facile posse. Si patriæ commoda, aut voluptates desideret, ubique illi eadem, aut majora commoda fore demonstrabimus. Quod si extra patriam & melius, & quietius, & commodius possit vivere, omne solum viro forti patrium existimandum, exemplo Teucri, qui patriam illic esse ajebat, ubicunque esset bene: denique stultum esse dicemus, se, suamque virtutem mœnibus unius civitatis claudere, eique se addictum, ac devinctum esse existimare, quum possit universum terrarum orbem sibi patriam facere, ut Socrates, qui quum interrogaretur, Cujatem se esse diceret, mundanum se esse ajebat.

De consolatione mortis.

CAPUT XIII.

SEquuntur ea, quæ adversus dolorem ex alicujus morte susceptum dici solent: quæ quidem, quoniam res ipsa quotidie accidit, atque in omnium ore versatur, partim tam multa sunt, ut brevi comprehendi non possint: partim tam late patentia, ut facile ab omnibus excogitari queant: nos tamen, ut aditum ad cetera invenienda faciliorem omnibus, & latiorem præbeamus, quædam breviter perstringemus. Igitur si con-

consolari quemquam morte lugentem statuerimus, oportebit nos initio scribendi orationem nostram ad illius dolorem parumper accommodare ita, ut & jure dolere, & nos ad ejus dolorem quam proxime accedere ostendamus. Ex quo fiet, ut ille facilius nostram consolationem admittat, & nos fidem apud eum,& benevolentiam ad ea, quæ dicturi sumus, majorem comparemus; nam & genus quoddam consolationis est, habere aliquem nostris calamitatibus nobiscum pariter dolentem. Videtur enim ille, quum ex eadem re dolorem capit, nos aliqua ex parte nostro levare: & adhibere statim acrem recenti, atque acerbo vulneri medicinam, minime accommodatum est; recrudescunt enim vehementiori contactu recentia vulnera; & non modo ferrum, sed manum quoque medici in principio reformidant: necesse itaque est, ut dolori paululum concedamus, & tum oratione, tum etiam significatione nostri doloris obsequamur, quod quum aliquandiu fecerimus, & animum hominis benevolum nobis,atque obsequentem reddiderimus ita, ut nos putet jam æque ac seipsum dolere, nihilque posse nos, quod ille refugiat, dicere, consolationem ipsam paulatim ingrediemur: & primum quidem doloris caussam, aut interrogando, aut indagando, aut confutando

do investigabimus: ea aut in morte ipsa, aut in eo, qui mortuus est, aut in eo, qui luget, inveniatur necesse est. In morte quidem aut boni plurimum inesse ostendemus, tum earum, a quibus discedimus, injuriarum explicatione; tum ejus, quæ divinitus promittitur immortalitatis, ac beatitudinis commemoratione: aut certe nihil etiam mali, etiamsi id, quod credere prohibemur, animæ cum corporibus extinguerentur. Mortem præterea naturæ finem esse, non pœnam tum ex singularum ætatum ordine, tum ex ipsa compositione, ac resolutione demonstrabimus. Exempla eorum adjiciemus, qui cum senio confecti essent, paulatim sine morbo, sine dolore, quasi sponte decesserunt: aut eorum, qui mortem suam aliquo tempore prædixere, quod se deficere, dissolvique sentirent; mortem itaque doloris caussam cuique esse nec debere, nec posse. Defuncti etiam gratia lugendum non esse, cui aut ingens bonum, aut nullum malum acciderit, ostendemus; deinde ex ejus virtutibus rebus gestis, moribus, & anteacta vita non posse eum immortalem beatumque non esse: tum quibus in vita bonis perfunctus sit; a quibus contra malis tum præsentibus, tum imminentibus sit ereptus, demonstrabimus, atque utraque, & bona, & mala commemorabimus ita, ut neque

Q ma-

majoribus bonis eum perfrui potuisse, si diutius vixisset, & mala ingentia, quæ imminebant, evitasse dicamus ita, ut vel sponte eum decessisse, vel divinitus sublatum esse monstremus. Mortem autem illi utilem fuisse non modo ex instantibus, & pene præsentibus malis, sed ex his etiam, quæ accidere diutius viventibus solent, ostendemus. Afferemus huc exempla eorum, qui quum multos annos felicissime vixissent, infelicissimum exitum vel suorum morte, vel patriæ calamitatibus, vel alia fortunæ mutatione habuere. Eum vero, qui lugeat, si hominem ad tanta bona ab his malis profectum lugeat, non recte facere; id enim invidentis potius, quam amantis esse ostendemus. Sin sua commoda lugeat, quæ ex illo vivente capiebat, non illum, sed seipsum amasse dicemus. Quod si filius ejus fuerit, qui defunctus est, ostendemus commodatum a Deo, non datum fuisse, quandiu illi collibitum fuerit, eum patri concessisse; quum visum sit, quod suum erat recepisse: omnia in meliorem partem accipienda; Deum, cum optimus, atque æquissimus sit, nihil nisi summa ratione, aut agere, aut permittere, nihil non optimum nobis, atque utilissimum, pati evenire, quippe qui multo magis nos amet, quam ipsi: sed nostri commodi gratia permittere,

ut

ut non omnium rerum ſcire rationem poſſimus ; & alia multa, quæ in hanc ſententiam a Theologis dici ſolent. Deinde lugentem exemplis eorum, qui & plures, & clariores filios amiſere, conſolabimur: eumque tum malorum, quæ plura, & majora pertulerit, comparatione, hanc calamitatem contemnere debere, quum animus jam in malis obduraverit, oſtendemus: tum bonorum, quæ ei plurima, & maxima reliqua ſunt, explicatione hominem ad eorum contemplationem, perfruitionemque revocabimus. Illa præterea quanquam communia, & vulgata ſint, nonnunquam tamen, ſi ſuo tempore afferantur, animum lugentis non mediocriter recreant: hominem eum natum fuiſſe: hanc eſſe humanæ vitæ conditionem, ut omnia orta occidant, & aucta ſeneſcant: neminem debere peculiariter lugere, quod commune ſit, atque omnibus accidat: ſapientem vero, qui cauſſas rerum intelligat, multo minus angi, commoverique debere; poterimus hic commemorare tot regum, civitatum, nationum, ædificiorumque interitus, hominemque ab unius morte ad tantarum rerum interitum contemplandum exemplo Servii Sulpitii revocare. Accedent his, ſiqua de conditione defuncti dici poſſint, quæ illi propria ſint: quæ quidem vitam ejus aut acerbam,

aut minus jucundam reddere potuissent: ut cæcitas, surditas, sive alterius membri, aut etiam totius corporis debilitas, aut ægritudo, item orbitas, humilitas, paupertas, infortuniaque alia, quæ hominibus præter opinionem solent accidere: quarum rerum si afferre aliquam poterimus, mortem illi fuisse utilem concludemus; postremo stultum esse dicemus, luctu ac mœrore confici, quum intelligat proficere se nihil posse; quo loco hominem ad patientiam, constantiam, virtutem, quam in ceteris rebus semper habuerit, ostendendam cohortabimur; eamque medicinam se sua sibi prudentia afferre oportere dicemus, quam ipsa sit omnino temporis longinquitas allatura. Denique barbaras quasdam nationes luctu nascentes, morientes cantibus, & lætitia prosequi consuevisse cogitantes, alteros in magnas miserias, alteros a maximis malis liberari. Turpe itaque esse nobis, qui literas, & sapientiam profitemur, a barbaris hac in re una superari, qui eos in ceteris superemus. Quod si levari morte nostrorum non possumus, luctum certe omnem cohibendum esse. Sed de morte quidem satis, cetera ex libris philosophorum petentur.

De consolatione cæcitatis, & totius corporis imbecillitate.

CAPUT XIV.

SUperest, ut eos consolemur, qui aut aliqua corporis parte, aut toto etiam corpore debilitati sunt. In his primum locum obtinet cæcitas, quæ propter illius sensus excellentiam maxime videtur detestanda. Igitur si cæcum hominem consolabimur, primum ostendemus, quare sint singuli sensus a natura dati: docebimusque eos non ad scelera, aut voluptates perfruendas, sed ad institutionem animi, ac perfectionem corporis, tanquam duces, & comites esse datos: deinde quam multa ex his mala tum in corpus, tum in animum ipsum proficiscantur, explicabimus. Et quoniam hæc ratio ad omnium sensuum amissionem consolandam valebit, quæ ex singulis mala oriri, quæ a singulis scelera committi soleant, ostendemus. Deinde his malis omnibus liberum, atque immunem esse, qui illorum incitatore, atque auctore sensu careat, demonstrabimus; tum eorum, qui sensibus his privati sunt, quietem, simplicitatem, securitatem, & commoda proferemus: incommoda, si qua inesse videbuntur, docebimus

ea vel per alios ſenſus ſuppleri, vel per miniſtros, ac ſervos evitari poſſe: ac cæcis quidem colorum, ſurdis vero ſonorum notitiam, quæ utriſque deeſſe videatur, neque ad capiendas voluptates, neque ad res gerendas obeſſe, quo loco eos neque corporis, neque animi voluptatibus carere, excepta dumtaxat colorum in cæcis, in ſurdis ſonorum voluptate, multis rationibus, atque exemplis demonſtrabimus; eas vero voluptates neque tanti eſſe faciendas, ut earum gratia tot vitiis, atque ſceleribus ſubjacere, involvique velimus: & tam multis contra bonis, ac virtutibus compenſatas eſſe, ut etiamſi magnæ eſſent, contemnendæ tamen, ac pro nihilo habendæ videantur. A rebus vero gerendis neque cæcos, neque ſurdos, neque alio ſenſu debilitatos abduci, ſingulorum exemplis, qui in omni genere claruerunt, comprobabimus; tum quæ diſciplinæ, quæ virtutes, quæ artes in cæcis, ſurdis, mutiſque & eſſe poſſint, & ſemper fuerint, oſtendemus: nonnulloſque altioris contemplationis gratia, ne a ſenſibus diſtraherentur, aut ſe in altiſſimos receſſus abdidiſſe, aut etiam ſponte ſibi oculos effodiſſe; atque hæ communes conſolationes ſunt. Proprias unicuique pro ejus ingenio, natura, diſciplina, virtutibus, moribus, rebus geſtis, & ceteris partibus,

quæ

quæ personis attribuuntur, accommodabimus: quæ præterea de communi humanæ vitæ conditione, de potentia, de constantia, de omni virtute dici possunt, in hanc poterimus consolationem conferre. Quæ de his sensibus diximus, tum in alias corporis partes, tum ad universum corpus, atque ad omnes ejus morbos accommodari poterunt; ostendemus enim pernicitatem pedum, corporis totius formam, agilitatem, robur sæpe homini obfuisse, profuisse fere nunquam, malaque omnia colligemus, quæ ab his, quas dixi partibus proficiscuntur. Commoda vero, quæ ex corporis integritate capiuntur, partim extenuabimus, partim nobis per alios præstari posse ostendemus, itá ut ex infirma corporis valetudine aut nulla, aut quam minima incommoda suscipiantur, eaque omnia servorum, ac jumentorum ministerio resarciantur. Dolorem vero corporis, ad patientiæ, constantiæ, virtutumque omnium exercitationem, item ad animi præstantiam, ad immortalitatis, ac beatitudinis spem, atque expectationem revocabimus: exemplaque afferemus eorum, qui minima quaque de caussa, ne proderent, quod celari volebant, gravissimis cruciatibus restitere: item eorum, qui nostræ Religionis tuendæ, Christianique nominis profitendi

gratia, ultro se maximis atque exquisitissimis tormentis objecere. Auget hanc consolationem & communium, & particularium, universarumque miseriarum commemoratio, ut intelligat is, qui morbo aliquo laborat, calamitatibus, atque ærumnis immunem esse neminem, quod si palam singulæ ostendi, & cum alienis conferri possent, neminem suas cum alienis commutaturum. Maxime autem proderit illa corporis, animique comparatio, & utriusque officiorum, virium, partium, utriusque denique finis explicatio: quam quum accommodate fecerimus, & animi præstantiam ostenderimus, ad ejus vires exercendas gloriam, atque immortalitatem doctrina, ingenio, & virtutibus comparandam, summo studio cohortabimur: & hujus vitæ brevitate, atque imbecillitate contempta, ad beatam illam æternamque appetendam, & origine, & mercede proposita, incitabimus. Sed hæc hactenus.

De inventione in universum.

CAPUT XV.

IN omni scribendi genere, quo pacto materia invenienda esset, satis abundeque videor exposuisse: quæ quidem pars, quo-

quoniam & difficillima erat, & a nostris scriptoribus, in hoc præsertim genere minime tractata, pluribus verbis a nobis explicata est. Nemo enim fere est, qui conceptus mentis exprimere, atque eloqui non quoquo modo possit: sed difficillimum ab omnibus existimatur, quid dicas, apte accommodateque invenire; nam etiamsi minus ornate dicas, quod velis, si animo aliquid non vulgare dicas, poteris tamen non mediocriter lectorem delectare. Quemadmodum enim pulcritudinis in corpore potissima pars non vestes sunt, sed ipsa corporis habitudo, & forma; ita in oratione non verba, sed sententiæ, & materia ipsa pulcritudinis, & roboris caussa potissima sunt: atque ut vestes induendi, atque exornandi corporis gratia inventæ sunt; ita verba enunciandi, atque eloquendi mentis conceptus gratia sunt excogitata. Denique res ipsæ sine ornatu verborum quasi nudum corpus esse possunt: verba sine rebus, ut sine corpore vestes, subsistere, atque esse non possunt. Huc accedit, quod de elocutione multi & veterum, & recentium perscripsere: de inventione ea, quæ extra judicium in demonstrativo, & deliberativo caussarum genere versaretur, exacte, atque accurate adhuc nemo. Hanc enim partem veteres, ut existimo, partim ut notam, partim ut ad aliam

aliam institutionem attinentem, pene intactam reliquere; recentiores adhuc non attigere. Postremo omnes, qui ad dicendi facultatem accedunt, quo pacto dicant, quærunt: quid dicant, non quærunt. His igitur de caussis ego mihi in hac potissimum parte insistendum, atque elaborandum putavi: reliquas duas, dispositionem, atque elocutionem breviter, summatimque perstringam. Altera enim & per se facillima est, & a nobis in ipsa rerum inventione magna ex parte tractata: altera partim est jam a nobis nonnullis libris conscripta, partim in aliud tempus, opusque conservatur.

De dispositione.

CAPUT XVI.

Dispositio igitur est ordo rerum dicendarum, ad nostram caussam certa ratione accommodatus; ea nos in scribendo plurimum juvabit. Is enim, qui scribit, si recte materiam disponat, & facilius scribet, quum res inter se non implicet, atque ad idem sæpe non redeat: & utilius, atque aptius ad persuadendum scribet, quum rationes singulas locis suis quasi milites in acie collocaverit. Is vero, qui leget & omnia me-

melius intelliget, & facilius memoria retinebit. Igitur qui ad ſcribendum accedit, quaſi corpus aliquod compoſiturus, materiam omnem animo quaſi oculis ſubjiciat, ac proponat: & primum quidem eam in caput, & maximà membra, hoc eſt, in exordium, & ceteras majores partes diſtinguat: neque ſolum quantum ſatis eſt, unicuique parti tribuat, ut omnia pro corporis magnitudine ſibi æqualiter membra reſpondeant; ne ſi caput, aut aliud membrum a ceteris magnitudine diſcrepet, monſtroſum corpus eſſe videatur: verum etiam ejus generis materiam parti cuique tribuat, quam ille maxime intelligit convenire; ne vel ea, quæ confirmationis ſunt, in exordium conferat: vel quæ in narratione dicenda ſunt, in concluſionem differat. Deinde in exordio ſemina quædam, & principia cauſſæ totius, tanquam nervos in capite collocet: a quibus univerſa oratio manare, ac diffundi videatur. Ea vero prima in exordio locet, quæ ad conciliandos animos tunc maxime liberos, & in nullam adhuc partem inclinantes valere plurimum exiſtimabit. Ea enim, quæ nudis adhuc & liberis animis imprimuntur, maxime inhærent. Sunt itaque lectorum, atque auditorum animis potiſſimum, & primo quoque tempore imprimenda, quæ neque deleri facile poſſint, & re-

& reliquis rebus dicendis fidem maximam, atque attentionem parent. Exordio, si res postulabit, statim narratio subjicietur, nisi aut lectoris animus majori præparatione, aut nostra caussa majoribus fundamentis indigeat: quod accidere poterit, si defendere turpem caussam existimabimur. Narrationis vero dispositio qualis esse deberet, diximus, quum de narrationis virtutibus tractaremus; post eam divisio earum rerum, quas tractaturi sumus, si longior caussa fuerit, collocabitur. Sæpenumero tamen in epistolis præsertim, quæ artificium omne dissimulant, divisione supersedemus, aut id quam occultissime facimus. In confutatione ea prima diluere, ac refellere oportebit, quæ vel lector, vel adversarius tanquam firmissima suæ caussæ adjumenta ex adverso vel collocaverit, vel collocare poterit. Cetera partim illudere, partim contemnere, partim transferre, partim subterfugere facile poterimus. In confirmatione firmissimam quamque argumentationem cum in principio, tum in fine collocabimus, ut & nostræ caussæ fundamenta constituamus, & lectoris, sive auditoris animum in fine quasi obsessum, ac devictum nostris rationibus relinquamus. In medio leviora collocabuntur: quæ quum per se satis firma non sint, validioribus utrin-

utrinque vallata, robur ab antecedentibus, consequentibusque accipient. Conclusio tametsi multis in locis disponenda est, in fine tamen maxime, artificiosissimeque adhibenda: cujus ratio satis, abundeque a nobis in primo libro est tradita. Dispositio in epistolis, si perpetua materia fuerit, hæc potissimum servanda est. Si plures erunt res, quæ tractentur, a maximis, & gravissimis incipiemus. Licebit tamen pro qualitate eorum, ad quos scribimus, a levioribus tanquam ab exordio incipere, ut illis aditum quodammodo nobis ad graviora præparemus. Si pluribus epistolis unica epistola respondendum erit, licebit vel acceptarum epistolarum ordinem, vel negotiorum gravitatem sequi, atque in hac quidem re nos ratio temporis admonebit. Ac de dispositione quidem satis in præsentia dictum sit. Nunc ad elocutionem, quæ una reliqua est ex suscepta institutione, transeamus.

De elocutione in universum, & de scribendi materia.

CAPUT XVII.

ELocutio, est elegans & ornata verborum, sententiarumque compositio: quam quidem adipisci qui volet, ante omnia

nia confiderabit, num poëmata, an folutam orationem velit fcribere. Plurimum enim tam apud nos, quam apud græcos differt poëtarum, ac oratorum inter fe lingua, non numeris modo, fed toto etiam dicendi genere. Poëtæ enim omnia magna, atque admirabilia dicendo faciunt: quippe qui res heroicas, divinafque narrent. Oratores, quum veras cauffas agant, cauffæ, non admirationi inferviunt; propterea que circumfpectius loquuntur. Præterea poëtæ omnia adjectivis exornant, illuftrant, veftiunt, circumfundunt. Oratores omnia fimplicius, atque abfolutius agant neceffe eft, & res ipfas apertas, expeditafque proponant. Poftremo illi tum in fingulis verbis, tum in fententiis ordinandis, componendifque, audacia ac licentia majore utuntur: figurafque tam verborum, quam fententiarum fibi proprias, atque accommodatas habent, quæ orationi minime conveniunt. Hi vero, cum numeris illis non arctant, neque fibi figuras arrogant, neque illam transferendo, & componendo licentiam affumunt. Suos utrique fines habent, quos egredi nefas eft. Quifquis igitur ad fcribendum accedet, hos in primis fines, atque hanc differentiam teneat neceffe eft, memineritque fe in oratione poëtam, in poëmate oratorem figuris, & genere ipfo dicendi

cendi

cendi esse non posse. Quo quidem in genere duo maxime vitia fugienda sunt: unum, ne omnia promiscue, vel quum discimus ab aliis, audiamus: vel quum docemus, aliis enarremus. Nam (ut ait Flaccus) Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu. Quod si futuri oratores poëmata a principio imbibant, illisque animum adhuc tenerum, & mollem imprimant, semper postea strepitum illum verborum, & tumorem orationis affectabunt: quod in oratore non mediocre vitium est. Atque hoc quidem vitio video plerosque laborare, non eorum modo, qui rhetoricen, sed eorum etiam, qui grammaticen docent. Pueris enim statim post prima grammatices rudimenta Virgilium, Ovidium, Lucanum, Juvenalem, Martialemque apponunt, secuti, ut arbitror, Quintilianum, qui a sermone græco incipiendum, & Homerum pueris enarrandum esse præcipit: neque reputantes hanc temporum mutationem, & linguæ amissionem, quæ tunc patria erat, nunc peregrina dici potest. Imo etiam magis tunc Romæ vigebat græca lingua, propter hominum, librorumque copiam, quam nunc latina: cujus quidem non usum modo naturalem, quem veteres habuisse non est dubium, sed scripta quoque, quibus retineri poterat, magna ex parte amisimus.

Dif-

Difficilius itaque, & laboriosius nunc latina discuntur, quam olim græca discebantur. Mutata igitur linguæ consuetudine, ratio quoque docendi, atque discendi mutetur necesse est, neque pueris, ut olim, poëtæ a principio tradi possunt. Moribus vero illa lectio quantum noceat in tenera illa, & molli ætate, nequeo dicere; perniciosius enim nihil esse, meo judicio, potest, quam nudum adhuc animum, qui optima quaque re primum imbuendus esset, amoribus, lasciviis, fabellisque imbuere. Alterum est vitium, quod magnopere fugiendum esse diximus, ne in soluta oratione poëticam grandiloquentiam, & circuitus illos verborum imitemur: aut nostram orationem adjectivis, translationibus, & figuris immodicis repleamus, quæ tumidam, atque obscuram orationem reddunt. Quo in genere Apulejus, Petronius Arbiter, Martianus Capella, & alii nonnulli magnopere peccaverunt: qui in oratione poëtæ quodammodo esse voluerunt. Quod quidem vitium optime vitabimus, si in principio ejus lectioni assuescemus, cujus in dicendo similes esse cupimus. Quum autem sint plures etiam in soluta oratione scribendi differentiæ, considerandum deinceps est, in quo potissimum genere versari velimus. Habent enim res singulæ non solum

lum distincta genera dicendi, verum etiam propria, peculiariaque vocabula. Nam si historias, & res gestas scribere instituamus, grandiores, tumidioresque, & poëtis quodammodo similiores esse possumus. Si orationes aut scribere, aut etiam pronunciare velimus, graves quidem cum in verbis, tum in sententiis esse nos necesse est: sed tamen ita faciles, & perspicuos, ut totam orationem nostram ad eorum, qui audiunt, peritiam, sive intelligentiam, accommodandam esse sciamus. Quo loco reprehendendus nobis error est eorum, qui quum apud imperitos verba faciant, ita in dicendo affectati, obscurique sunt, ut vix a doctissimis per otium intelligi possint. Nonnulli quum græce aliquid sciant, in latina, popularique oratione græcis sæpenumero verbis utuntur ob id vel maxime, ut a nemine, vel a quam paucissimis intelligantur, scilicet ut errare impune possint: & quum maxime errant, quam optime dicere existimentur; quod quidem nequaquam facerent, si aut suæ, aut audientium personæ rationem haberent, aut si Ciceronem optimum fuisse oratorem existimarent: qui, quum & ipse in utraque lingua doctissimus esset, & ad doctissimos plerunque loqueretur, non solum tamen græcis verbis abstinuit, sed latinis quoque nonnisi com-

R muni-

munibus, atque usitatissimis uti voluit. Nihil dico de illis, qui apud populum altissimas philosophiæ, ac Theologiæ quæstiones tractant: quas neque si ab aliis audirent, ipsi aut intelligerent, aut probarent: neque quum eas dicunt, satis intelligunt. Igitur, qui orationes volet scribere, ante omnia eam materiam sumet, quam non ipse modo plane intelligat, sed ab auditoribus quoque intelligi facile posse confidat. Deinde eo orationis genere utetur, quod & verbis, sententiisque gravissimum erit, & ad usum, atque ingenia auditorum quam maxime accommodatum: si quis autem in aliqua disciplina præcipere, aut scribere quicquam velit, æquabile illud, & temperatum dicendi genus, de quo Cicero loquitur in Officiis, sequatur necesse est ita, ut neque figuris multis orationem distinguat, neque longo ambitu verborum utatur: & quod in primis necessarium est, maxime dilucidus, apertusque sit. Nam si ad materiæ difficultatem accedat etiam obscuritas verborum, & affectatum dicendi genus, neque libenter legetur quicunque is sit, neque facile intelligetur: quo in genere Quintilianus in vitio est; quanquam id temporum, quam hominis vitium dici magis potest. Siquis autem epistolas tantum, & leviora quædam velit conscribere, is pro subjecta materia tum

tum gravius, tum levius, tum affectatius, tum remissius, tum copiosius, tum brevius, denique quod ipse maxime amaverit genus dicendi sequi poterit, modo materiæ, lectorique satisfaciat. Postremo, qui ad scribendum accedit, non solum quid potissimum velit scribere, sed cujus in scribendo similis esse, consideret necesse est. Nam quum aliter Catonis, aliter Ciceronis, aliter Quintiliani, aliter Macrobii, & Boethii seculum locutum sit, omnesque in suo genere, quanquam bene dicant, tamen inter se maxime discrepent, videndum est, cujus maxime similes esse cupiamus. Nam si Ciceronem nobis imitandum proponimus, ceterorum tum modos, tum vocabula vitemus necesse est: non enim secula modo inter se discrepant, sed ejusdem quoque seculi homines dissimiles in dicendo sunt; nam si diligenter advertimus, aliter Cicero, aliter Sallustius, aliter Cæsar loquitur, qui tamen æquales prope fuere. Permixtio vero illa, & confusio generum dicendi, quæ ex omnibus seculis, atque hominibus fit, tantam orationi inæqualitatem, ac dissimilitudinem affert, ut monstrosa pene videatur, quod in Aulo Gellio maxime intueri licet, qui quum priscam illam eloquentiam imitari conaretur, neque id pateretur consuetudo seculi sui: item quum græcos,

apud quos illa conscripsit, effingere, atque exprimere, natura linguæ latinæ repugnante studeret; pessimum, meo judicio, & minime imitabile dicendi genus assecutus est. Is igitur, qui ad scribendum accedet, uni seculo, atque adeo uni viro se addicat necesse esse: eumque, quum optimum elegerit, (stultum est enim, ut ait Plinius, ad æmulandum non optima quæque proponere) tum sibi summo studio imitandum, atque effingendum curet, neque diffidat se dicendo quemcumque voluerit æmulari, & consequi posse, modo se diutissime in scribendo exerceat. Nemo autem est, sive veterum, sive nostrorum, qui Ciceronem in omni genere non optimum, atque præstantissimum esse putet. Quod quidem qui existimabit, ad ejus imitationem se solum conferre, ejus orationem effingere, ejus virtutes in eloquendo, quoad fieri poterit, sibi comparare velle debebit.

De figuris orationis.

CAPUT XVIII.

QUum autem sint figuræ tres orationis: Una gravis, quæ verbis & sententiis gravissimis constat, & luminibus ac coloribus tota distinguitur: quales in orationibus

bus Ciceronis loci quam plurimi, præsertimque in accusationibus, & invectivis. Altera mediocris, quæ de altitudine illa, & sublimitate multum detrahit, non tamen ad ima descendit: quales sunt magna ex parte Ciceronis orationes, & philosophiæ volumina. Tertia infima, quæ sermonem purum, popularem, ac nudum, sed tamen proprium, & latinum habet: quales sunt multæ ejusdem Ciceronis epistolæ tum ad uxorem, tum ad Atticum, tum ad alios, ad quos ille quotidiano sermone scribebat: ante omnia videndum est, ut illas inter se discernere quam optime sciamus: neque existimemus orationes omnes in gravi, philosophiam in mediocri, epistolas in attenuata figura scriptas esse. Nulla enim fere oratio est, in qua non omnia hæc genera reperiantur. Narrationes enim plerunque in attenuata sunt: exordia in mediocri: confirmationes, & confutationes, & conclusiones præsertim in quibus miseratio captatur, plerunque in gravi sunt, nunquam in attenuata: quod ex pondere sententiarum, figurisque verborum deprehendi facile potest. Habet enim hæc figura tanquam fluvium quemdam dicendi, effunditque omnes habenas eloquentiæ: vehementiam vero tantam, ut animos non movere, sed cogere videatur. Attenuata huic con-

traria, nullas translationes, aut figuras habet: nervos tamen sermonis non amittit. In hoc genere comœdiæ scriptæ sunt, tametsi insurgunt illæ nonnunquam, iratusque Chremes, (ut ait Flaccus) tumido de litigatore. In hac figura epistolæ a nobis, nisi gravior res urgeat, magna ex parte scribendæ sunt. Est enim difficilior jam nobis attenuata, quam gravis veteribus unquam fuit, propter linguæ latinæ desuetudinem, atque amissionem, & propter discendi difficultatem. Licet tamen, & ex humili in mediocrem, gravemque ascendere, & e gravi in mediocrem, atque humilem, non tamen repente, sed per quosdam quasi gradus sensim descendere, ut venisse in eam: non cecidisse videamur. Mediocris inter utramque posita, neque hanc humilitatem, neque illam sublimitatem omnino retinet. Distinguitur tamen & illa figuris, & luminibus orationis: & quia utrique finitima est, faciliorem tum ascensum, tum descensum habet. In hoc genere historiæ sunt magna ex parte conscriptæ: orationes tamen Livianæ præsertim, ad gravem plerunque conscendunt. In hoc genere magna ex parte orationes a nobis hodie scribi debent, qui forense illud dicendi genus exercere non possumus, & in laudationibus plerunque versamur. Licet etiam in

hoc genere epistolas scribere, præsertim eas, quæ materiam habent graviorem. Videndum autem est, ne in finitima his figuris vitia dilabamur. Nam dum graves esse cupimus, solemus nonnunquam tumidi fieri, si vel crebris, atque extraneis translationibus, vel frequentibus, ac poëticis adjectivis orationem repleamus: qualia sunt in Petronio, Martiano, & Apulejo multa, quædam etiam in Hieronymo nostro, præsertim ubi de beata Virgine, aut inferis loquitur. In quod vitium multos quoque de nostris incidere hodierna die video, qui se tum demum latine, atque ornate loqui putant, quum poëticis adjectivis, atque translationibus orationem duram, ac difficilem reddunt. Attenuatæ contra figuræ vitium est, quum conjunctiones, ac nervos orationi detrahimus, quod in sermone quotidiano fieri videmus: quale est, Tu nunquam ad me scripsisti, ego scripsi ad te sæpe: Tu non scribis ad me, ego non scribam ad te: Amicitia mea tibi jucunda non est, mihi tua jucunda non erit. Hæc oratio nervos non habet. Adduntur autem nervi sic: Quum ego ad te sæpe scripserim, tu ad me nunquam scripsisti: Quod si post hac statueris non scribere, ego quoque ad te non scribam: Nam si tibi amicitia nostra non est jucunda, tua quoque mihi jucunda non erit.

erit. Atque huic figuræ quoniam usitatior, & intellectu facilior est, exemplum apposui, habet enim grande, & perspicuum vitium. In ceteris, in quibus vitia vel minora, vel occultiora sunt, non apposui. Mediocris autem figuræ vitium est, quum quasi sine sanguine, nervisque sententias coacervamus potius, quam componimus: & orationi tenorem illum, vigoremque subtrahimus: qui intelligi magis, quam dici potest. Sed quoniam hæc sunt a Cicerone, & ab aliis veteribus nostrisque copiose, ornateque perscripta, a nobis verbosius tractanda non sunt.

De virtutibus elocutionis.

CAPUT XIX.

Reliquum est, ut de virtutibus elocutionis pauca dicamus. Habet autem tres maximas, præcipuasque virtutes elocutio, perspicuitatem, ornatum, compositionem: quæ ceteras omnes complectuntur. Perspicuitas tum in singulis verbis, tum in ipsa compositione, & ordine consideratur. Verba singula & propria, usitata & latina sint, necesse est. Propria sunt, quæ uniuscujusque rei conceptum proprie accommodateque significant. Quo in genere sordida, ob-

obſcœna, & humilia vitanda ſunt: quanvis ſint ejus, quam exprimere volumus, rei propria. Sordida exiſtimantur dicta, quæ ab oculorum aſpectu removeri ſolent: ut officia corporis neceſſaria, eorumque membrorum, & officiorum vocabula. Obſcœna ſunt ea, quæ tametſi cum honeſtate fieri nonnunquam poſſint, dici tamen ſine verborum fœditate non poſſunt, ut dare operam liberis, & quæ ejuſdem generis omnibus nota ſunt: quæ quidem tam honeſte dici, quam fieri debent. Humilia ſunt, quæ infra lectorum, aut auditorum, aut etiam ejus ipſius, qui loquitur, dignitatem ſunt: ut ſi apud Pontificem,& ſacrum Collegium, aſinos, mulos, inſtrumenta ruſtica ſingillatim, aut vilia domus officia nominemus, quæ quidem aut ſilentio prætereunda, aut honeſtioribus vocabulis nominanda ſunt. Propria item ſunt, quæ quum vocabulo careant, ad ſimilitudinem referuntur: ut jaculari, quod tam de pilis, & ſudibus, quam de jaculis dicimus; quia pilari, & ſudari non dicimus. Item lapidare, non ſolum de lapidibus, ſed de glebis quoque, & teſtis, & ſimilibus dicimus, quæ vocabula propria non habent. Vertex item eſt aquæ revolutio, & quicquid in ſe vertitur: per ſimilitudinem tamen & capitis, & montis cacumen dicimus. Propria etiam ſunt, quæ uſus ali-
cui

cui certæ significationi accommodavit: ut veteres, qui urbis nomine Romam tantum intelligebant, quanvis aliæ multæ urbes essent: & nos, qui Philosophi nomine Aristotelem, Apostoli Paulum intelligimus, quanvis & philosophi alii, & Apostoli fuerint. Denique ut breviter dicam, propria sunt, quæ id, quod volumus, auditori maxime, apertissimeque declarant, & (ut Fabius ait) non auditu, sed intellectu perpendenda sunt. Latina autem verba sunt, quæ veterum scriptorum auctoritas, & romanæ linguæ consuetudo comprobavit. Quo in genere græca multa ita jam in usum recepta sunt, ut si quis eadem latine velit exprimere, non intelligatur: ut Apostolos, Prophetas, Episcopos, Evangelia, Theologiam, Angelos, & alia multa, quæ appellare latine audet nemo. Quædam etiam hebræa vocabula ita recepimus, ut mutare ea nefas ducamus, ut Cherubim, Seraphim, Sabaoth, Osanna, Alleluja, & similia. Quod si quando de sacris rebus scribamus, aut dicamus, illis abstinere neque debemus, ne Religionem odisse videamur: neque possumus, quia si Latine hæc dicere velimus, a nemine prorsus intelligeremur. Eadem, quorum res inventæ nuper sunt, vocabula reformidare non debemus, qualia sunt, Cardinales, bombardæ, campanæ, sta-

staphæ, & cetera, quorum quum res nuper inventæ sint, verba quoque, quibus res illa exprimantur, in consuetudinem admittenda sunt, ne vel aliud dicere velle, quum loquimur, vel alio nati seculo, vel nolle omnino intelligi videamur. Usitata vero non omnia sunt, quæ latina. Ea enim, quæ vel in duodecim Tabulis, vel in libris pontificum, vel in comœdiis, tragœdiis, scriptisque eorum, qui ante Ciceronem fuerunt, latina quidem esse nemo dubitat: sed etiam ipso Ciceronis tempore ex usu remota, atque antiquata erant, propter eaque minus bene, ac perspicue loqui existimandus est Gellius, qui non modo a verbis illis non abstinet, sed ea etiam affectat, & quærit. Contra, ea, quæ posteriores philosophi, theologi, & jurisperiti in consuetudinem adduxerunt, verba, magna ex parte fugienda sunt, atque ad Ciceronianum illum candorem, & perspicuitatem omnis linguæ consuetudo revocanda, modo vel apud Ciceronem, vel apud alios magnæ auctoritatis scriptores ea verba reperiantur. Si vero conceptus aliquos vel in philosophia, vel in theologia exprimere velimus, qui veteribus vel intacti, vel incogniti fuerint; non propterea debemus vereri, quo minus quoquo modo exprimamus, aut voces de integro effingamus, aut inventas molliamus,

au-

aureſque illis noſtras aſſuefaciamus : neque propterea eos, qui id fecerunt, Cyprianum, Lactantium, Hieronymum, Auguſtinum, innumerabileſque alios doctiſſimos viros, barbaros, aut imperitos, appellare debemus : ſed omnia ad doctiſſimorum hominum auctoritatem, conſuetudinemque referre. Atque hæc in ſingulis verbis breviter obſervanda eſſe cenſeo.

De vitiis compoſitionis.

CAPUT XX.

IN compoſitione autem, & contextu ipſo, multa & magna vitia committuntur, quæ non modo difficilem, atque obſcuram, ſed ineptam quoque, & inconcinnam orationem reddunt. Nos ex illis quædam maxime inſignia annotabimus, ut ex illis cetera cognitu faciliora ſint. Ante omnia igitur, ſi dilucidi eſſe cupimus, longiſſimas illas comprehenſiones, quas περιόδους Græci vocant, fugiemus, ne lectoris, aut auditoris intentio, proſequi ingenio noſtram orationem non poſſit. Item tardam, & diu dilatam verborum tractationem, quod Græci ὑπέρβατον vocant, magnopere vitabimus, ne multis interjectis verbis, finis demum ſententiæ, oblito jam

lectore, conſequatur: qualia vitia ſunt in procemio Priſciani. His finitimæ ſunt longæ, crebræque ſententiarum interpoſitiones, quas Græci παρενθέσεις vocant: quas neque frequentes longas eſſe convenit, ne lector aut principalis ſententiæ obliviſcatur, aut ita utramque ſecum implicet, ut neutram intelligat. Videndum præterea eſt, ne verba ita texamus, ut vel ancipitem, vel obſcurum intellectum reddant. Quale eſt illud: Saxa vocant Itali mediis, quæ fluctibus aras: aut illud, Ajo te Aejacida Romanos vincere poſſe: quo loco & victos, & victores romanos poſſumus accipere. Videndum item eſt, ne dum copioſi, aut elegantes, aut ornati eſſe cupimus, inani quodam ſtrepitu, circuituque verborum, & (ut ait Quintilianus) copioſa loquacitate longiſſimam, & incomprehenſibilem verborum ſeriem, ſine ullo rerum pondere, aut concluſionem faciamus: qua in re nonnulli maxime laborant, rati ſe tunc maxime doctos, atque elegantes exiſtimatum iri, ſi a quam pauciſſimis intelligantur. Alii contra brevitati ſtudentes, verba, nomina, conjunctiones, & ceteras partes ex oratione detrahunt: rati aut ſe ita breves fore, ſi neceſſaria omiſerint; aut ceteros ea intelligere, quæ ipſi intelligant. Nonnulli verba quidem clara, & ſuo ordine collocant:

cant : ſed ita , ut nullus ex his , aut quam occultiſſimus ſenſus emergat , ita ut oporteat lectorem ſenſus illos non quaſi alienos intelligere , ſed quaſi ſuos magno labore excogitare , atque invenire : quæ quidem ἀδιανόητα a Græcis vocantur . Danda igitur opera eſt , ut lector , atque auditor non modo poſſit noſtram orationem intelligere , ſed ut non poſſit eam , etiamſi velit , non intelligere . Quod quidem obtinebimus , ſi , ut ante diximus, verbis propriis, latinis, & uſitatis utemur . Nam emendate loquendi ratio , quam Quintilianus adjungit , ad grammaticam inſtitutionem pertinet . Item ſi comprehenſionibus non longis , neque interjectione ſententiarum , aut trajectione verborum , aut ancipiti contextu ſententias obſcurabimus . Poſtremo , ſi neque orationi quicquam detrahemus , neque ſupervacuum diffluere patiemur , neque ſententias de communi uſu remotas , atque abhorrentes excogitabimus . Eſt enim , ut ait Cicero , vitium in oratione maximum , a vulgari genere orationis , & conſuetudine communis ſenſus abhorrere : quod quidem vitium quum ſemper magnum fuit , tum hoc præcipue tempore , vel maxime fugiendum eſt ; nam neque omnes literis delectantur. Præterea quam pauciſſimi ex his , quorum gratia vel dicimus , vel ſcribimus , ita docti

ſunt

sunt, ut possint nos, si obscurius loquamur, etiam diligentius attendentes intelligere. Dabimus itaque operam, si intelligi cupiemus, ut nostra oratio ita in animos lectorum, atque auditorum, ut sol in oculos, etiam invitos ingruat, atque incurrat. Illa praeterea in compositione vitia fugienda sunt, quae ineptam, insulsam, atque inconcinnam orationem reddunt: ut, frequens earumdem vocalium concursus; quale esset, Herculea arma aenea allata sunt, quod vitium vastam, atque hiantem orationem reddit. Item huic contrarius creber multarum consonantium quasi conflictus, qui difficilem pronunciatu reddit orationem: quale esset, Xerxes strangulavit Ptolemaeum. Item ejusdem literae crebra repetitio, ut in hoc versu:

O Tite tute Tatae tibi tanta tyranne tulisti.

Item ejusdem dictionis frequens sine decore, atque ornatu repetitio: ut, Si homo cogitaret, quanti hominis vita, nullus homo hominis gratia homines occideret. Vitandus est etiam ille contextus verborum, qui vel sonum turpem, vel obscoenum reddit: ut, Cum nostro exercitu, & Dorica castra, & similia. Vel sensum efficit talem, qui etiam in obscoenam partem accipi potest: quale est, Incipiunt agitata tumescere. Utrumque autem a Graecis κακέμφατον dicitur.

tur. Item ille vitiosus contextus est, qui in numerum poëticum desinit: ut, Da animas nobis, cetera tolle tibi, & illud in priore Lucilii libro; Has res ad te scriptas, Luci misimus Aeli. Item vitiosa sunt crebra similiter cadentia: ut, in conspectu tantorum doctorum virorum, sapientissimorum oratorum quis audeat verba facere? Quæ quidem vitia tametsi obscuram orationem non reddunt, æque tamen, atque obscuritas, lectorem, atque auditorem avertunt: atque haud scio, an etiam magis. Nam obscuritas auditoris videtur arrogantiam arguere, & quoquo modo attentum eum reddit, ut siqua ex parte possit, quæ dicantur, intelligat. Inconcinnitas vero, & auditori quanvis imperito fastidium affert, & scriptoris ignorantiam, atque stultitiam ostendit aperte. Dabimus itaque operam, ut & perspicui scribendo, dicendoque simus: & hæc, atque alia his similia in compositione vitia declinemus.

De ornatu.

CAPUT XXI.

SEquitur, ut de ornatu, quem secundam esse virtutem elocutionis diximus, pauca disseramus. Nam ubi oratio propriis, lati-

latinisque, ac usitatis verbis assecuta fuerit, ut perspicue ab omnibus intelligatur, tum quibusdam quasi coloribus depingenda, atque illustranda luminibus erit, ut & aures delectet, & animum mira quadam lectionis suavitate permulceat, quæ quidem quomodo aut invenienda, aut collocanda sint, magna ex parte natura ipsa docebit, atque ad locos illos filo quodam, & ordine orationis quasi manu ducet. Non enim hæc tam ab arte, quam ab ingenio, ac natura ipsa, meo judicio, proficiscuntur; nullis enim præceptis, nullo artificio tradi potest, quo loco unamquamque figuram disponere, & collocare conveniat. Huc accedit, quod in sermone etiam quotidiano, & in communi lingua illiterati homines non illis modo, quæ arte traditæ sunt, sed aliis quoque, & multo pluribus nullo docente utuntur, quod quum ita sit, fatendum est, aut hæc a natura, non ab arte profici-sci, aut homines cum arte nasci: quod quidem quum stultissimum sit, illud profecto sequitur, hæc a natura primum profecta esse, deinde a doctissimis viris observata: & quia conferre ad dicendum videbantur, in artem præceptionemque redacta. Observaverunt autem hæc primum græci, eaque in artem, & præcepta redigentes, suis nominibus appellavere. Nobis, quibus illa

adhuc incognita, atque inaudita erant, majora ac difficiliora ob nominum novitatem videbantur. Noſtri deinde illa ſcribentes, atque omnia ad patrium, hoc eſt romanum ſermonem revocantes, latinis vocabulis nominavere. Sed qui parum periti linguæ græcæ ſunt, alia putant eſſe, quæ græce audiunt, alia quæ latine. neque eſſe eandem figuram ὑπερβολὴν, & ſuperlationem, atque illo nominum inuſitato, & incognito ſono decipiuntur. Nos & latinæ linguæ, & diſcentium utilitati conſulentes, eas & latinis nominibus appellabimus: & ubi ſe nobis græca obtulerint, etiam græcis ſignabimus: ut & qui hæc latine ſcire volunt, habeant, quibus ea vocibus poſſint appellare: & qui græce ſcripta apud alios legunt, alia eſſe non credant. Appellantur hæc autem a græcis, partim τρόποι, partim σχήματα, eo quod vertant, formentque ſermonem: a noſtris tum figuræ, tum exornationes, ſive ornamenta, eo quod exornent, effingantque orationem: tum per ſimilitudinem colores, aut lumina, quod orationem ipſam pingant, & illuſtrent. Sunt autem figuræ, quibus in ſermone utimur, tam multæ, ut nihil ſine figura loquamur. Nam quum figura ſit formatio quædam, compoſitioque ſermonis a vulgata illa, & ſe primum nobis

bis offerente loquendi ratione discedens, & ad variandam, atque illustrandam orationem excogitata, quis obsecro valeat modos omnes, quibus oratio variari, aut illustrari potest, præceptis, aut nominibus comprehendere, quum quotidie etiam in sermone communi innumerabiles reperiantur? Nos autem, ne partem hanc neglexisse videamur, paucissimos, atque usitatissimos attingemus: reliquos scire qui volet, apud Ciceronem, Quintilianumque, a quibus nos hæc accepimus, facile inveniet.

De figuris verborum.

CAPUT XXII.

IGitur quum ab eodem verbo membrum, vel comprehensiones sæpe inchoamus, repetitio a nobis, a græcis ἀναφορά dicitur, hoc modo: Scipio Numantiam sustulit: Scipio Carthaginem delevit: Scipio pacem peperit: Scipio civitatem servavit. Contra, quum in idem verbum sæpe desinimus, conversio, sive ἀντιστροφὴ appellatur, hoc modo: Pœnos populus Romanus justitia vicit, armis vicit, libertate vicit. Quum autem & ab eodem inchoamus, & in idem desinimus, ex ambabus his figuris una fit, quæ complexio, sive συμπλοκὴ nominatur,

hoc modo: Qui sunt, qui fœdera sæpe ruperunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui in Italia crudele bellum gesserunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui Italiam deformaverunt? Carthaginenses. Quum vero idem verbum in media oratione cum dignitate, & concinnitate in diversis casibus sæpe repetitur, Traductio, sive πλοκή nuncupatur, hoc modo: Qui nihil habet in vita jucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere. Quum autem commiserationis, vel alterius affectus movendi gratia, unum, vel plura verba mutato ordine iterantur. Conduplicatio, sive ταυτολογία dicitur, hoc modo: Pudet judices, pudet hac de re toties verba facere: item, Nunc etiam audes in horum conspectum venire, proditor patriæ, proditor inquam patriæ venire audes in horum conspectum? Quum quasi per gradus quosdam a verbo in verbum cum antecedentis repetitione descendimus, Gradatio fit, quæ κλίμαξ appellatur, hoc modo: Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit. Atque his potissimum figuris cum dignitate verba repetuntur.

Contentio, sive contrarium, quod ἀντίθετον dicitur, est, quum ex contrariis verbis, ac rebus sibi respondentibus sententia conficitur, atque id, quod volumus proba-

batur hoc modo: Habet assentatio jucunda principia, eadem exitus amarissimos affert; item, Qui suis rationibus inimicus semper fuit, eum quomodo rebus alienis amicum fore speres? Atque has duas figuras, quum & ejusdem generis sint, & parum inter se discrepent, de industria conjunxi. Differunt autem hoc modo. Nam contrarium urget, & ex re contraria probat, quod vult: Contentio neque urget, neque quicquam probare vult, sed plerunque reprehendit: quod ex superioribus exemplis apparet.

Exclamatio est, quæ animi affectum ostendit per loci, aut rei, aut hominis absentis, sive defuncti compellationem hoc modo: Te nunc alloquor Africane, cujus mortui quoque nomen splendori, ac decori est civitati: item, O singularem audaciam, o perfidiam incredibilem.

Interrogatio dignitatem, atque ornamentum affert orationi, quum ex antedictis urget, faterique compellit hoc modo: Quum igitur hæc faceres, ac diceres, num Rempublicam conservabas? num socios in fide retinebas?

Membrum, quod κῶλον dicitur, est oratio brevis: quæ tametsi sententiam absolutam habet, aliam tamen expectat, quæ ei per conjunctionem plerunque annectitur:

junguntürque duo, aut plura membra ſimul hoc modo: Et inimico proderas, hoc unum membrum eſt: Et amicum lædebas, hoc eſt alterum; additur & tertium ſic: Et tibi ipſi non conſulebas. Item, Nec rei conſuluiſti, nec amicis profuiſti, nec inimicis reſtitiſti: quæ quidem græci τρίκωλα vocant.

Articulus, qui ἀσύνδετον dicitur, eſt, quoties verba ſingula ſine conjunctione per ſe quadam cum vehementia collocantur, hoc modo: Acrimonia, voce, vultu, geſtu, inimicos perterruiſti.

Compar eſt, quum duo, aut plura membra paria, quantum fieri poteſt, ſine conjunctione ponuntur: ut, In prælio mortem pater oppetebat, domi nuptias filius comparabat: hæc omnia graves caſus adminiſtrabant; atque hæc ἰσόκωλα a græcis appellantur.

Similiter cadens, quod ὁμοιόπτωτον dicitur, eſt, quum plures dictiones in eadem oratione per caſus ſimiles efferuntur: ut, Hominem laudas egentem virtutis, abundantem felicitatis.

Similiter deſinens, quod ὁμοιοτέλευτον vocatur, eſt, quum in eaſdem ſyllabas deſinunt ea, quæ caſibus carent ſic: Turpiter audes facere, nequiter ſtudes dicere. Vivis invidiose, delinquis ſtudiose, loque-

ris

ris odiose. Conjunguntur hæ duæ figuræ ſimul hoc modo: Perditiſſima ratio eſt, amorem petere. pudorem fugere, diligere formam, negligere famam.

Agnominatio, quam παρονομασίαν vocant, eſt, quum pene eamdem dictionem, mutata ſignificatione, per jocum, aut per dicacitatem repetimus. Ea fit commutatione, additione, imminutione literarum, ut, Hic mero, non Homero operam dat. Item, Hic quod ſe magnifice jactat, venit a te ante, quam Romam venit. Item, Hic ſibi poſſet obtemperare, niſi amori mallet obtemperare. Atque hujus alluſionis plures ſpecies ſunt, quam ut a nobis breviter explicari poſſint. Sed ut a lepido ingenio facile excogitantur, ſic a ſtolido fruſtra conquiruntur.

Definitio eſt, quæ breviter, quid quæque res ſit, & quæ ſit natura ejus, oſtendit: vel dialectico modo pergens ad differentias proprias: ut, Avaritia eſt cupiditas pecuniæ congregandæ, ſine erogationis voluntate. Vel oratorio modo ſic: Avaritia eſt, quæ pecuniam congregat, neque ſibi, neque aliis quicquam impartit, neque unquam habendi cupiditate ſatiatur, quæ quidem potius deſcriptio poteſt appellari.

Tranſitio eſt, quæ breviter, & quid dictum ſit, repetit: & quid ſit dicendum, pro-

 ponit,

ponit hoc modo: Audiſtis patres, qualis fuerit Thomæ vita: audite nunc, ſi placet, qualis fuerit ejus viri doctrina.

Correctio eſt, quæ tollit id, quod dictum eſt, & pro eo id, quod magis idoneum videtur, reponit hoc pacto: Quod ſi iſte ſuos hoſpites rogaſſet, imo ipſe innuiſſet, modo hoc facile perfici poſſet. Item, Hoc offendit exiſtimationem noſtram, imo vero dignitatem, atque adeo ſalutem ipſam evertit.

Occupatio eſt, quum dicimus nos præterire, aut non ſcire, aut nolle dicere id, quod maxime dicimus hoc modo: Non dico te ab ſociis pecunias accepiſſe: non ſum in eo occupatus, quod civitates, regna, domos omnium depopulatus es: furta, rapinas omnes tuas omitto.

Disjunctio eſt, quum ſingulis membris ſua verba damus ſic, Populus Romanus Numantiam ſuſtulit, Carthaginem delevit, Corinthum evertit.

Conjunctio eſt, quum verbum unicum, & illud in medio collocatur, ſic. Formæ dignitas, aut morbo defloreſcit, aut vetuſtate.

Adjunctio eſt, quum verbum aut præponitur, aut poſtponitur. Præponitur ſic: Defloreſcit formæ dignitas aut morbo, aut vetuſtate. Poſtponitur ſic: Aut morbo,

aut

aut vetuſtate formæ dignitas defloreſcit.

Interpretatio eſt, quum idem per diverſa verba ad rem exaggerandam, & animos commovendos repetimus ſic: Patrem nefarie verberaſti: Parenti ſcelerate manus intuliſti. Quod ſi longior ſententia diverſis verbis repetatur, Expolitio dicitur.

Commutatio, quæ ἀντιμεταφορὰ dicitur, eſt quum duæ contrariæ ſententiæ, mutatis tantum vocibus verborum, apte ſimul concluduntur: ut oportet eſſe, ut vivas: non vivere, ut edas: item, Dicere, quæ non ſentio, licet: quæ ſentio non licet.

Permiſſio eſt, quum id, in quo vel ſalus noſtra, vel res alia conſiſtit, ex deſperatione rerum noſtrarum alienæ poteſtati permittimus ſic: Amiſſis jam omnibus, vita ſola ſupereſt: eam vobis totam permitto, ac dedo: vos, ut placet, utimini, atque utimini: de me, ut vultis, ſtatuite.

Dubitatio eſt, quum quærimus, quod ei rei quam dicere volumus, verbum accommodatum ſit, hoc modo: Quæ iſta tua eſt ſive imprudentia, ſive ſtultitia, ſive utrumque? dubitamus enim quo eam nomine appellemus.

Expeditio eſt, quum pluribus rationibus enumeratis, ceteriſque cunfutatis unam quam volumus, nos ſequi neceſſario oſtendimus

dimus hoc modo : Quoniam habes hunc equum , aut dono , aut hæreditate , aut præda , aut furto ; habeas necesse est : amicum , qui tibi dono eum dederit , non habes : hæredem te per hos annos nemo scripsit : in exercitu nunquam fuisti : relinquitur ergo , ut eum furto sustuleris ; sed hæc figura inter argumentationes est dicta .

Dissolutio , quam ἀσυνδετολογίαν appellant , est , quum plura membra sine conjunctionibus per intervalla proferimus sic : Gere morem parenti : pare cognatis : obsequere amicis : obtempera legibus .

Præcisio est , quum dictis quibusdam , id quod dici cœpit , imperfectum relinquitur ad suspicionem , vel atrocitatem augendam hoc modo : Tu hoc audes dicere , qui nuper ; sed præ turpitudine dicere id non audio . Plus hic est , quod suspicatur auditor , quam quod ille dicturus fuisset .

Conclusio est , quum brevi argumentatione id , quod volumus , ex antedictis necessario consequi ostendimus sic : si hæc urbs servari sine commeatu non poterat , Pompejus autem & pecuniam , & naves ad commeatum emendum , atque advehendum contulit , Pompejus nimirum hanc urbem servavit .

Nominatio , quæ ὀνοματοποιία dicitur est , quum nomen aliquod novum rei , quæ sa-

ſatis idoneum non habeat, accommodamus. Ea fit duabus de cauſſis, imitationis, & ſignificationis gratia: imitationis, quum ex ſimilitudine aliarum vocum aliquam fingimus ſic: Nam ut majores noſtri philoſophari dicebant eum, qui philoſophiæ operam dabat, ſic nos aſtrologari hunc hominem dicimus. Quum aliquid ſignificare, & exprimere volumus ſic: Conſcendit equum, atque in ſtaphis ſubſtitit. Nomina tamen hæc, & raro, & neceſſario, & dilucide fingenda ſunt.

Pronominatio, quæ ἀντονομασία dicitur est, quum aliquem vel laudis, vel ignominiæ cauſſa quodam quaſi cognomine appellamus: ut ſiquem novum Cæſarem appellamus: aut ſi invidum, Zoilum: pumilionem, Atlantem: aut ignavum, Herculem deridendi gratia nominemus.

Denominatio, quæ μετωνυμία dicitur, eſt, quum a propinquis, & finitimis rebus aliquid nominatur, ut inventum ab inventore: ut quum Liberum, & Cererem, pro vino, & frugibus ponimus, vel contra inventorem pro invento: ut quum vinum, & fruges pro Baccho, & Cerere ponimus; dominum pro inſtrumento: ut ſi quis de Gallis loquens dicat, expulſæ ſunt ex Italia tandem pallæ, quæ veſtes eorum ſunt: aut ſi quis ruſticos, vomeres, aut ligones ap-

apellet. Item id, quod fit ab eo, qui facit: ut si Martem, bellum appellemus, aut tardos, & frigidos, Saturnos vocemus. Item quum, qui facit ab eo, quod fit: ut si pigram hyemem, aut desidiosam artem dicamus, quæ pigros, & desidiosos homines reddit. Item id, quod continetur ab eo, qui continet: ut si Italiam, aut Galliam, pro Italis, aut Gallis dicam. Item id, quod continet ab eo, quod continetur: ut quum argentum, & aurum, pro vasis, & divitiis nominamus. Hæc figura species quamplurimas habet, quæ usu magis, quam præceptis discuntur. Sed videndum est, ne in denominando, aut ab usu recedamus, ut obscuriores simus, aut in poëticas denominationes dilabamur, quæ in oratione soluta vitiosæ sunt. Sed hoc nos oratorum lectio, & usus ipse doceat necesse est.

Circuitio, quæ περίφρασις dicitur est, quum ornandæ rei gratia id, quod paucioribus verbis dici potest, pluribus dicimus sic: Scipionis prudentia Carthaginis opes fregit, poteram dicere, Scipio Carthaginem sustulit, nisi circuire ornandi gratia maluissem.

Transgressio, quæ ὑπέρβατον dicitur est, quæ verborum perturbat ordinem, non solum sine obscuritate, sed etiam cum dignitate ad poëticum quemdam numerum, qui non

non dedecet oratorem. Ea fit verbis nunc præpoſtero ordine collocatis, ut Magna cum laude tua dixiſti. Nunc in partem aliam trajectis, ut Non veni ad te ob eum, quem ex patris morte cepi dolorem.

Diminutio eſt, quum rem quampiam oratione attenuamus, vel evitandæ arrogantiæ cauſſa, ut Dedi operam, ut artem dicendi non in poſtremis tenerem. Vel invidiæ fugiendæ cauſſa, ut Habeo patrimonium non tenuiſſimum. Superius vitavimus, ne diceremus, Optime tenerem, quod arrogans eſſet: hic, ne ampliſſimum patrimonium appellaremus, quod invidioſum fuiſſet.

Superlatio, ſive ὑπερβολὴ, eſt oratio ſuperans veritatem, augendi, minuendive gratia, ut Si concordiam retinebimus, magnitudinem imperii ſolis ortu, & occaſu metiemur: fit & per ſimilitudinem, ut Igneum aſpectu ardorem æquabat: & per comparationem, ut Dulcior melle ab ore ejus fluebat oratio.

Intellectus, qui νόημα dicitur, eſt, quum vel a toto pars intelligitur, ut Si precioſas veſtes oſtentanti dicam, Oſtendas mihi divitias tuas: vel a parte totum, Non te illa ſanctiſſima lumina, illæ aræ ſacratiſſimæ commovebant, quæ partes templum univerſum repræſentant. Item quum plura ab

uno

uno intelliguntur, ut Miles Romanorum victor extitit, id est, milites Romanorum: vel unum a pluribus, ut turbasti mea pectora, quum pectus unicum habeamus.

Abusio, sive κατάχρησις est, quæ verbo simili, & propinquo, pro certo, & proprio abutitur, ut quum longum consilium, & breves vires dicimus, quæ impropria sunt. Nam metiri ea non possumus, sed tamen non inconcinne usurpamus.

Translatio, sive μετάφορα est, quum verbum ex propria re in aliam per similitudinem quamdam concinne, perspicueque transfertur. Ea fit multis modis: quippe qua plenus fit quotidianus sermo: nos exempli gratia, paucos subjiciemus. Obscœnitatis vitandæ gratia sic, Ejus mater quotidianis nuptiis delectatur. Ornandi gratia sic: Eloquentia, quæ hactenus aruerat, tua industria revirescet. Rei ante oculos ponendæ gratia sic, Hic tumultus sopitas hominum mentes expergefecit. Augendi gratia sic, Nullæ opes famem istam tuam explere possent. Minuendi, sic, Mihi fortuna cœpit paullulum aspirare. Ceteri modi usu, & natura percipientur.

Permutatio est, quum tota oratio aliud dicit, & aliud intelligit: hanc διαλλαγὴν Græce possumus appellare, tametsi eam consummationem Quintilianus vocet, ea fit per

per similitudinem sic: Quum canes fungantur officio luporum, cui jam pecuaria committemus? Per contrarium, ut si divitem Irum, pauperem Crœsum, impium Æneam appellemus: quæ, ut dixi, natura magis, quam arte percipiuntur. Ac de exornationibus verborum satis sit dictum. Nunc de illis, quæ non plurlbus verbis, sed tota sententia constant, paucas attingemus.

De figuris sententiarum.

CAPUT XXIII.

IN illis autem obtinet primum, meo judicio, locum ea, quæ dicitur sententia, quæ γνώμη appellatur a græcis. Ea est oratio de vita, & moribus sumpta, quæ breviter quid sit, aut quid esse oporteat, ostendit hoc modo: Liber is est existimandus, qui nulli turpitudini servit. Item Avaritia pecuniæ studium habet, quam nemo sapiens concupivit. Item, Possessio divitiarum, & formæ gloria fluxa, atque fragilis est: Virtus clara, eternaque habetur. Quibus quidem sententiis, & Sallustius in procemiis, & Seneca in omnibus suis libris pleni sunt.

Ratiocinatio est, per quam ipsi a nobis quærimus, quare unumquodque dicamus, & nostris interrogationibus ipsi respondemus

mus hoc modo: Majores noſtri, ſi quam unius peccati mulierem damnabant, ſimplici in judicio multorum maleficiorum convictam putabant. Quo pacto? quoniam quam impudicam judicarant, eam veneficii quoque damnatam exiſtimabant: quid ita? quia neceſſe eſt eam, quæ ſuum corpus addixerit turpiſſimæ cupiditati, timere permultos: quos iſtos? virum, parentes, ceteroſque ad quos videt ſui dedecoris infamiam pertinere.

Diviſio inter figuras nominatur, quum rem in duo membra dividimus, atque utrumque brevi ratione concludimus ſic: Cur ego nunc tibi objiciam quicquam? ſi probus es, non meruiſti: ſi improbus, non commoveare.

Frequentatio, quam συναθροισμὸν Græci vocant, eſt quum res in tota cauſſa diſperſæ unum in locum accumulantur, quo gravior, atque acrior fiat oratio: ut ſi quempiam laudaverimus, ejuſque virtutes multas enumeravimus, denique ſic eas in unum congregemus: Qualis igitur vobis videri debet, qui tam pius in patriam extitit, tam liberalis in ſuos, tam officioſus in omnes, tam manſuetus, æquus, modeſtus, omnibus denique ob ſuas virtutes charus.

Similitudo eſt oratio, quæ ex re diſſimili, aliquid ſimile ad rem, de qua loquimur,

mur, accommodat. Ea fit ornandi gratia per similitudinem sic: Non sicut in vestibus ea pessima, quæ diutissime duravit: sic in amicitia is deterrimus, qui vetustissimus; vestis enim usu teritur, amicitia diuturnitate perficitur. Hæc similitudo per contrarium dicitur, quia vestis amico contraria est: fit autem ornandi caussa, quia illa poterat carere oratio. Fit etiam probandi gratia per negationem sic: Neque equus indomitus, quanvis natura bene compositus sit, idoneus potest esse ad eas utilitates, & aptus, quæ desiderantur ab equo; neque homo indoctus, quamvis ingeniosus sit, ad virtutem potest pervenire. Hoc probabilius factum est exemplo equi, cujus ratio similis videtur esse. Dictum autem per negationem, quia res utraque negatur. Fit item similitudo apertius dicendi caussa, per brevitatem sic: amicitia ut vestis dissuenda magis, quam laceranda est. Hic eadem oratione utraque res breviter est conclusa, & apertissime dictum, quod volebamus. Fit postremo per collationem, rei ante oculos ponendæ gratia, quod ad poëtas maxime pertinet hoc modo: Sicut citharœdus preciosissimis vestibus indutus, corona aurea, cithara pulcherrima, atque ornatissima, ceterisque rebus, quæ expectationem concitare possunt, insignitus; Si repente

ſilentio facto, peſſime, atque imperitiſſime canat, ab omnibus ejicietur, explodetur, ita ſi quis in ſummis opibus, maximis naturæ, ac fortunæ commodis conſtitutus, nulla virtute, ac doctrina præditus ſit, ex omni conventu bonorum ejicietur. Hæc ſimilitudo per comparationem ponit rem ante oculos: ſed ut dixi, ad poëtas maxime pertinet. Videndum tamen eſt, ut quum ſimilitudinem rei noſtræ applicamus, verba ex ipſa ſimilitudine in rem noſtram commode, & appoſite transferamus ſic: Ut hirundines æſtivo tempore præſto ſunt, frigore pulſæ recedunt: ita falſi amici ſereno vitæ tempore præſto ſunt, ſimulatque fortunæ hyemem vident, devolant omnes.

Exemplum, quod παράδειγμα appellatur, eſt alicujus facti, aut dicti præteriti cum certi auctoris nomine propoſitio, ad rem noſtram accommodata. Id fit iiſdem de cauſſis, atque iiſdem rationibus, quibus ſimilitudo: propterea exemplis non eget.

Confirmatio, quæ προσωποποιΐα, dicitur, eſt, quum abſenti, aut mortuo, aut mutæ rei vocem, atque orationem tribuimus: ut ſi civitatem introducamus loquentem, aut aliquem ab inferis ſuſcitemus, & loquentem faciamus: ut Cicero fecit pro Cælio, qui Appium Claudium Cæcum cum Clodia illa loquentem induxit.

Ser-

Sermocinatio, quæ προσωποποιΐα ab aliis, ab aliis διάλογοι dicitur, eſt, quum iis, de quibus loquimur, ſermonem ætati accommodatum damus, ut ſi de puero loquentes, pueri ſermonem effingamus: item ſi ſenem, mulierem, ſervum, regem loquentem faciamus, quod in narratione rerum geſtarum, dum ſingula exprimere volumus, atque hiſtoria, & poëmate fieri maxime ſolet. Dialogi item omnes in ſermocinatione ſunt poſiti: quæ res exemplis non eget.

Significatio, quæ ἔμφασις eſt dicta, appellatur, quum ſuſpicionis augendæ gratia plus, minuſve dicimus, quam ipſa res ſit. Ea fit multis modis. Per exuperationem, quum veram orationem tranſgredimur hoc modo: Hic ex tanto patrimonio ne teſtam quidem ſibi reliquit, qua ignem petat. Per ambiguum, quum verbum plura ſignificat, ſed capitur in eam partem, quam vult is qui dicit, ut ſi de eo loquamur, qui pecuniam ſuam omnem aliis crediderit, & dicamus: Religioſus hic admodum vir eſt, multum enim, & libenter credit. Per conſequentias, quum rem conſequentem exprimimus, & antecedentem intelligi volumus, ut ſi aratoris filium velimus ſignificare dicamus: Tace tu, cujus pater feſtis tantum diebus humi ſpuebat, ſignificamus per hoc, cum aliis diebus manus ad ligonem reti-

nendum conſpuiſſe. Sed hæc genera non niſi a facetiſſimis ingeniis excogitari poſſunt; nulla enim arte tradi queunt. Fit etiam ſignificatio per abſciſſionem, quum cœptam rem non perficimus, ſed in ſuſpicione relinquimus, ut ſcis te iſta forma, atque ætate in aliena domo, nolo plura dicere. Hanc figuram, pulcherrime locus ille Juvenalis oſtendit: Aut Paſtor fuit, aut illud quod dicere nolo. Fit etiam ſignificatio per ſimilitudinem, quum re ſimili allata, ſatis ſignificatum exiſtimamus, quid velimus dicere, ut ſi patriæ proditorem pœnas daturum ſignificare velimus, hoc modo per ſimilitudinem ſignificemus: Noli conſiliis iſtis, aut opibus nimium credere: erat etiam ingenioſus, & locuples Catilina. Hæc exornatio ad jocandum, & mordendum accommodata eſt.

Brevitas, quæ βραχυλογία nuncupatur eſt, quum rem verbis tantum neceſſariis perſtringimus hoc modo: Robertus Malateſta Romam venit, exercitum cogit, hoſtem prælio ſuperat, paucis poſt diebus moritur. Brevius hoc nihil dici poteſt. Et de figuris hactenus.

***

De

De compositione.

CAPUT XXIV.

QUoniam de tribus elocutionis partibus, quas supra proposuimus, duæ jam absolutæ sunt, perspicuitas, & ornatus: reliquum est, ut de compositione, quæ tertia pars erat, breviter disseramus. Non enim satis est, verba propria, & accommodata rebus invenire, nostramque orationem figuris, & quasi luminibus quibusdam illuminare, nisi hæc omnia structura quadam, & ordine componamus, & quasi contexamus. Quanquam autem hac de re superius a nobis, quum de perspicuitate loqueremur multa, quæ ad vitiosam compositionem pertinent, sunt dicta, multa etiam aliis locis, ubicumque se opportunitas obtulit, respersa; tamen, quoniam hic proprius ejus locus est, quædam de ea separatim dicenda sunt. Danda igitur in primis opera est, quod sæpius repetere non verebor, ut ita scribamus, ut ab omnibus etiam mediocriter eruditis facillime intelligamur, quod quidem assequemur, si a communi quodam, & usitato genere orationis non abhorrebimus, nosque totos ad illius Ciceroniani candoris, & facilitatis imita-

tionem conferemus: dabimusque operam, ut fluere sponte oratio, non trudi, atque impelli, & tunc maxime natura ipsa effundente provenire, non artificio præscribente excogitari videatur. Illa enim optima, atque artificiosissima sunt, quæ nos facere nullo negocio posse confidimus. Nam si Ciceronem, aut Sallustium, aut alium quempiam ejus temporis diligentius consideremus, nihil facilius existimabimus, quam eorum in dicendo candorem, & simplicitatem assequi. Quod si tentare id, atque experiri velimus, nihil difficilius inveniemus. Texenda igitur ita nostra oratio est, ut naturalem illum candorem, & romanæ linguæ simplicitatem, quantum fieri potest, præseferat, quod consequemur, si ea, quæ in perspicuitate sunt a nobis præcepta servabimus, ut neque longiores ambitus faciamus, neque inter se verba obscure, atque ambigue implicemus, neque sententias inusitato quodam modo, aut impropriis, peregrinisque vocabulis inculcemus. Postremo si ordinem quemdam non in verbis modo, sed in sententiis quoque singulis, & materia universa servabimus. Ordo autem in verbis sic servandus, ut neque verba suos casus, neque substantiva suas adjectiones longe positas, disjectasque desiderent, & quasi expectent, neque inter se

or-

ornandi ſtudio dictiones ſingulæ implicentur: quale eſſet, ſi Ciceronianum illud: Orationem autem latinam efficies legendis noſtris pleniorem, ita implicaremus: Orationem autem noſtris latinam legendis pleniorem efficies. Videndum etiam eſt, ne verba ita collocemus, ut alium, quam nos volumus, ſenſum efficiant. Nam ne ab eodem exemplo diſcedamus, ſi verba commutes, Orationem autem pleniorem legendis noſtris latinam efficies, ſenſum omnino alium, ac diverſum effeceris. Item ſi negationes alio, atque alio loco poſueris, non eumdem ſenſum feceris. Aliud eſt, Non omnis, qui literas diſcit, doctus eſt: & aliud, Omnis qui literas diſcit, non doctus eſt, & aliud, Omnis qui literas non diſcit, doctus eſt. Item non idem eſt, Ego te non vidi, &, Non ego te vidi; poſterius enim plerunque interrogat. Videndum item eſt, ne ſenſum in aliarum quoque dictionum ordine pervertamus. Nam ſi velimus dicere, Ego non ſolum te, ſed tuam quoque familiam diligo: non recte ſic dicemus, ego te non ſolum diligo, ſed tuam quoque familiam: nec ſic, ego te non diligo ſolum &c. Verbum enim diligo, aut utrique præponendum eſt ſic: ego diligo non te ſolum, ſed univerſam quoque familiam tuam, aut utrique poſtponendum, ut in principio fe-

cimus. Sed hæc, quoniam & plura sunt, quam ut breviter comprehendi possint, & a nobis magna ex parte in libris de lingua latina pertractata, non sunt hic latius repetenda. Illud autem in ordine observandum est, ut semper crescat in verbis, sententiisque oratio, ut Homo prudentia, mansuetudine, modestia, atque omni virtute præditus; virtus enim & ea, quæ dicta sunt, & alia multa complectitur: propterea que primo in loco ponenda non erat. Contra nonnunquam particularia, quam universalia, vehementiæ plus habent, propterea que posteriore loco ponenda sunt hoc modo: Amo te cum propter alias virtutes tuas, tum vero ob egregiam, singularemque modestiam; plus enim apud me modestiæ, quam ceterarum virtutum ratio valet. Videndum itaque in hoc genere diligenter est, ut nunquam decrescat, & minuatur vis illa, & vigor orationis: omnibus autem, quas diximus, rebus ita ratio subjicienda est, ut in illis nihil dubitari possit. Rationes, & rationum confirmationes ita texendæ inter se, & conjungendæ sunt, ut non solum sententiæ sententiis, propositionibus conclusiones, explicationes divisionibus, partes partibus, sed verba etiam singula verbis ipsis respondeant, referanturque ita, ut omnia inter se quibusdam quasi hamis lori-
cæ

cæ modo inserta, & concatenata sint, ut destrui, & quodammodò retexi non possint. Danda autem opera est, ut neque verba, neque partes alias omittamus, quæ aut obscuram, aut ambiguam orationem reddant: nisi quum verba tam propinqua sunt, ut intelligi alias superlativi non possint. Nihil contra ornatus tantum gratia sine magna ratione apponendum est; frustra ea enim ornamenta sunt, quæ ratione, ac specie omnino carent. Quod quidem necessariò mihi dicendum est, propter imperitos quosdam, qui tum denique se ornatissime loqui putant, quum orationi, vel supervacuas particulas multas apponunt, vel detrahunt necessarias. Illa igitur optima compositio erit, in qua nihil deerit, quod desiderari; nihil supererit, quod auferri possit.

De numerosa oratione.

CAPUT XXV.

QUoniam autem oratio per aures in animum transfunditur, aures autem numeris ita capiuntur, ut Aristoxenus non ignobilis philosophus animam harmoniam quandam dicere non dubitaverit, numeris quibusdam quasi pedibus feratur, & aures perfecto quodam, & ut ita dicam, rotundo ver-

verborum ambitu impleat necesse est: qui quidem quum pro qualitate materiæ nunc tardius incedit, nunc celerius currit, tum graviorem, tum acutiorem harmoniam, sive concentum ex sese parit. Quum ita instabilis est, ut tenorem servare nullum queat, & incomposito verborum strepitu inanem quemdam, & immodulatum sonum efficit, ab auribus confestim, animoque respuitur. Quanquam id aures judicare, nisi doctæ, atque assuetæ sint, plane non possunt: sentiunt tamen optimum illum, atque absolutissimum sonum, quoquo modo etiam indoctæ. Sed ut in musica minima quæque deprehendere nisi peritissimus artis non potest: sic in hac re ultimam illam, atque absolutissimam perfectionem intelligere aures nisi assuetæ omnino non possunt. Atque hæc quæ dicimus, eo spectant, ut intelligamus nos artificio, ac præceptis ullis numerosam orationem, aut nostram facere, aut cognoscere alienam non posse, nisi aures numerosis orationibus audiendis longa consuetudine sonum illum optimum a minus bono discernere doceamus. Qua quidem in re assidua nos Ciceronis lectio in primis juvabit. Quanquam autem, neque qui audiunt hoc tempore, numeros satis intelligunt, neque qui dicunt, aut scribunt, eos magnopere curam

rant (vix enim hac ætate unum , atque alterum vidi , qui numeros in dicendo , aut ſcribendo ſectaretur) tamen vel ut intelligamus , quid nobis ſervandum ſit , ſi veteres imitari velimus , vel ut eorum in ſcribendo artificium , atque obſervationem cognoſcamus, pauca de numeris ex Ciceronis præceptis, atque obſervatione perſtringam. Orationem igitur apud græcos primi omnium Thrasymachus Chalcedonius , & Leontinus Gorgias numeris aſtrinxere , ut quum poëtas cum voluptate , ſe cum ſeveritate audiri viderent , & voluptati audientium , varietatique conſulerent . Gorgias autem paribus paria reddere , & contrariis contraria referre primus inſtituit , eaque re ad vitium uſque delectatus eſt . Iſocrates deinde moderatione quadam adhibita , rem maxime excoluit . Noſtri eam rem tantopere admirati ſunt , ut cum aliquid numeroſe cecidiſſet , tota concio pariter exclamaret . C. quidem Gracchus dum oraret , ſervum cum organo quodam poſt ſe habebat , qui ei numeros , modoſque ſuccineret . Cicero in eo genere , quantum intueri licet , palmam mihi videtur eſſe aſſecutus : ita nihil etiam in familiaribus epiſtolis , quotidianoque ſermone non numeroſum efferebat . Neque vero tota oratio numeris tanquam verſus aſtringenda eſt : ſed ita a principio flue-

fluere, ac ferri debet comprehensio, ut deponi, & quiescere in fine, non cadere, aut projici videatur. Et quanquam clausula ipsa, id est, finis comprehensionis maxime debet esse numerosa, cetera tamen omnia, quæ ad finem illum ducunt, numeris, & modulis quibusdam carere non debent, ita ut auditor, aut lector a principio videre finem illum, atque expectare videatur. Neque hoc sane difficile factus est illis, qui se in scribendo aliquandiu exercuere. Nam ubi primum sententia mente concepta est, confestim verba ultro se se offerunt, & in ordinem, ac numerum quemdam digerunt. Requirunt autem non eosdem omnia numeros, sed alios alia, pro diversitate materiæ, & orationis genere. Contentiones enim celerius currere, narrationes tardius ferri debent. Tarditatem orationi, & gravitatem spondeus in primis afferet, qua duabus syllabis longis constat. Celeritatem Pæan maxime conficiet, qui tribus brevibus, & longam, vel in principio, vel in fine posita continetur. Dactylus, quæ longa, & duabus brevibus conficitur, utrique generi est accommodatus. Jambus, qui ex brevi, & longa est, demisso, & humili sermoni aptissimus est, propptereaque eo maxime comici utuntur. Principia a longis, ut plurimum, syllabis facienda sunt,
fiunt

fiunt etiam a brevibus nonnunquam: ut Cicero, Animadverti judices & novum crimen. Pæan is, qui primam longam, & tres breves habet, & in principio, & in medio passim optime collocatur: in fine decet. Is vero, qui tres breves, & longam postremam habet, Temeritas, Aristoteli, & Græcis maxime placet: in fine Cicero eum non valde probat; nam ultimam syllabam ne in versu quidem, quanta sit, referre arbitratur. Quintilianus longam esse censet oportere. Ego Ciceroni, qui plurimum dixit, & scripsit, magis accedo. Cavendum autem est, ne hexametri versus principium initio dicendi, aut scribendi faciamus: quale dicitur reliquisse Livius, Facturus ne operæ precium sim: quod qui emendare voluerunt, facturus ne sim, postea scripserunt. Sicut etiam finis hexametri, & pentametri vitiosus est, in quem Asinius, & Brutus incidere sæpenumero solebant, ut video placuisse Catoni, & Hieronymus noster, quanquam non his rebus erat intentus, in translatione Geneseos ait, Da mihi animas, cetera tolle tibi: quod ego non accusandi Hieronymum, sed vitii ostendendi gratia posui. Clausula autem optime definit in dichoreum, id est, in duos trocheos, ut Patris sapientiam, filii temeritas comprobavit. Trocheus enim ex longa, & brevi con-

conficitur: Queadmodum Asia maxime secuta est. Sed videndum est, ne frequentius idem finis, quamvis optimus sit, satietatem afferat; afferunt enim etiam optima satietatem. Optimus est etiam in fine creticus, qui ex longa, brevi, & longa conficitur: si ante se habeat vel dactylum, vel pyrrichium, qui duas breves, vel tribrachum, qui tres item breves habet, quale est, Quamdiu tantas injurias patiemur? &, Facite, ut bonos servare videamur. Geminatus etiam idem optime claudit, ut Virtus est servare quam plurimos. Patitur etiam ante se anapæstum, qui duabus brevibus, & longa conficitur, ut De viro loquar non solum bono, verum etiam nobili. Dactylis quoque non claudit male, si eum jambus, vel creticus antecedat, ut Hoc nostra ratione concluditur; male autem si spondeus, vel trocheus antecederet: quale esset, Hoc ratione nostra concluditur, vel hoc nostra ratione clauditur. Illud tamen advertendum est, pedes omnes, si dictionibus singulis contineantur, pessime orationem inchoare, & claudere, ut in Jugurthini belli principio apud Sallustium notat Quintilianus: Falso quæritur de natura sua genus humanum: in fine quale esset, quod modo dicebam, Ratione nostra clauditur. Quod quidem, & in pedibus bene coeuntibus vitiosum est.

Spon-

Spondeus bene claudit, præsertim quæ incisa nominantur, si eum antecedat creticus, ut similis caussa, qua plurimum uti solebat Demonsthenes. Item si anapæstus, ut, Loquar de muliere, non solum nobili, verum etiam nota. Item si jambus, ut, Tu optimum munus exerces: qui molossus efficitur, qui est ex tribus longis. Contra Spondeus optime jambum præcedit, ut iisdem in armis fuit, & quid futurum sit, nescio. Claudit autem male spondeus, si eum vel spondeus, vel pyrrichius, vel dactylus, vel pæan, vel tribrachus antecesserit. Amphibrachus etiam, qui longam inter duas breves habet, auctore Quintiliano, etiam claudit non male, ut in Africa fuisse. Sed ego id ratione dichorei, qui eodem in loco est, fieri censeo. Idem trochæum, & pyrrichium, qui pæana conficiunt, optime cadere existimat, ut Quanta eos a plebe romana maneret invidia; quem pedem Cicero dicit vigere in principio, in fine jacere. Bacchius, qui est ex brevi, & duabus longis, etiam geminatus recte concludit, ut Quæ ratio fuit, ut ab homine tibi amicissimo venenum timeres? Trochæus quoque non solum geminatus, ut diximus, sed etiam spondeo præcedente recte cadit, ut Quod hic potest, nos possemus. Item pyrrichius inter duos trochæos, ut Scipio

suos

suos omnes virtute superavit. Drochimum, qui est ex quinque syllabis, prima brevi, duabus longis, brevi, longa, existimat Cicero, si semel ponatur, esse non malum, ut Amicos tenes: quanquam magis numerus, quam pes propter multitudinem syllabarum videri potest. His vero clausulis si oratio variabitur, fiet, ut & capiat lectorem, & satietati occurrat. Quanquam autem omnis oratio fluere ita debet, ut numeris quibusdam incedere videatur: diligentia tamen illa, & ratio numerorum tribus in locis potissimum adhibenda est: quum aliquid laudare ornatius volumus, ut fecit Cicero in secunda accusationum in C. Verrem, de Siciliæ laudibus; aut quum narrandum est aliquid, quod plus dignitatis habeat, quam doloris, ut idem in quarta de Ætnensi Cerere, de Segestana Diana, de Syracusarum situ fecit: aut in amplificationibus, & commiserationibus, ut idem pro Milone, pro Ligario, & aliis judiciis quam plurimis dixit. Tametsi se conatum esse, & voluisse id assequi fatetur, nescire tamen se, an sit consecutus; neque diu retinendam eam formam numerose dicendi, idem Cicero arbitratur; sed transeundum ad ea, quæ Græci κόμματα, & κῶλα vocant, nos incisa, & membra possumus appellare: his oratio pulcherrime distinguitur. Sunt au-

autem incisa, breves quædam orationes, quæ vel interrogant, vel respondent, vel confutant, vel indignantur, vel pronunciationem suspendunt. Quale est illud apud Ciceronem: Domus tibi deerat? at habebas; pecunia superabat? at egebas: hæc incisa dicuntur: quæ quidem, danda opera est, ut quam aptissime cadant. Membra vero sententiæ longiusculæ sunt, quæ quibusdam quasi nodis inter se connectuntur, Incurristi amens in columnas, in alienos insanus insanisti; sequitur deinde quædam quasi columna, quæ superiora continet, & comprehensionem concludit: Depressam, cæcam, jacentem domum pluris, quam te, & quam fortunas tuas extimasti. Quæ quidem comprehensio dichoreo finitur: superiora membra spondeis optime terminantur. Historia, ut Quintilianus scribit, non tam finitos numeros, quam orbem quemdam, contextumque desiderat, nam omnia ejus membra connexa sunt, & ipse rerum gestarum ordo per se lectorem capit, ac detinet, propthereaque cum in omni scribendi genere, tum in historia vel maxime, quæ rerum notitiam pollicetur, servanda perspicuitas est, atque omnis compositionis affectatio fugienda: quo quidem in vitio maxime versari mihi videtur Tranquillus, qui dum brevis, & non vulgaris esse voluit

obſcurum ſe, & nimis affectatum reddidit. Omnis igitur oratio candorem quemdam, & ſponte fluentem curſum habeat neceſſe eſt, qui non numeroſus ſit, & ſimilis numeroſo; nihil eſt enim pejus, ac turpius, quam ſi artificioſe numeros conſectari more poëtico videamur, nihil contra pulchrius atque artificioſius, quam quum ars in omni genere ſcribendi minime apparet, totaque compoſitio naturæ quam maxime ſe accommodat: quam quidem rem duabus nos rebus maxime conſequemur, lectione, & ſcriptione. Lectio non varia quotidie, & diverſa, ſed ſimplex, & unius generis eſſe debet, ejuſque præſertim ſcriptoris, cujus in ſcribendo eſſe ſimiles volumus; multum enim, Plinius ait, legendum eſſe, non multa, eum autem eſſe Ciceronem, nemo dubitat: ille enim ſe profeciſſe ſciat (ut Quintilianus ait) cui Cicero valde placebit. Quod ſi hiſtorias ſcribere velimus, Cæſar, & Salluſtius mihi in primis legendi, imitandique videntur. Livius quoque, tametſi diverſum ab his ſcribendi genus habeat, obtinet tamen in ſuo genere principatum, miram enim in ſcribendo majeſtatem præſefert. Neque Curtius, meo judicio, repudiandus eſt, proxime enim ad ſuperiores illos accedit. Alium præter hos, quem imitari debeamus, video neminem. Exerci-

citatio autem multiplex eſt, unuſquiſque enim ſuo genere delectatur. Sed illa prima, atque utiliſſima mihi videtur eſſe, ut epiſtolas in omni materia frequentiſſimas conſcribamus, atque illis quodammodo vires quaſi in campo aliquo comparemus; poſſumus enim illis omne ſcribendi genus experiri, & nos quaſi ad veram pugnam præparare. Illa deinde optima exercitatio eſt, ut hiſtorias, ſive communi lingua ſcriptas, ſive barbare, atque inornate compoſitas, latine conſcribamus. Nonnulli etiam latine ſcriptas in ἐπιτομὴν redigunt, vel aliis verbis componunt. Quod genus παράφρασις græcis vocatur: quæ quidem ſi ex ſoluta oratione, in ſolutam item orationem transferatur, probanda eſt: ſin ex poëmate accipiatur, ut a quibuſdam fieri noſtra ætate intelligo, meo judicio, peſſima, ac vitioſiſsima eſt; alia enim poëmatis, alia orationis ſolutæ ratio eſt. Adoleſcentes vero, qui fines utriuſque rei nondum intelligunt, poëticis translationibus candorem illum orationis involvunt. Danda itaque opera eſt primum, ut optimum quemque imitandum nobis deligamus, deinde ut diutiſſime his, quibus dixi, rationibus exerceamur. Hæc autem, quæ his libris tradita ſunt præcepta ita teneamus, ita ſervemus, ut intelligamus, neque ſine his magnopere va-

lere exercitationem ; neque hæc ſine exercitatione multum ad ſcribendum conferre. Quod ſi hæc cum exercitatione aſsidua conjunxerimus, vetuſtam illam, & perfectam ſcribendi rationem, qua illi, quos maxime admiramur, veteres utebantur, optime (ut ſpero) atque abſolutiſsime conſequemur.

FINIS.

FR.LIP-

FR. LIPPI AURELII
BRANDOLINI
AUGUSTINIANI
ORATIO
De Virtutibus D. N. Jesu Christi Nobis in ejus Passione ostensis.

ROMÆ CORAM

ALEXANDRO VI.
PONT. MAX.

IN PARASCEVE HABITA

Ac tantum probata, ut iterum, ac iterum eam repetere Auctor cogeretur.



V 3

LIPPUS AURELIUS BRANDOLINUS

AUGUSTINIANUS EREMITA.

B. P. AC DOMINO NOSTRO

ALEXANDRO VI.

PONTIF. MAX.

Salutem in Domino, & felicitatem dicit.




Uum apud Beatitudinem Tuam proxime in Parasceve Orationem de Salvatoris nostri virtutibus habuissem, Tu eam, pro tua singulari benignitate, & tunc absente me, & postea praesente, tibi ita placere ostendisti, ut mihi & per nuntios, & coram, gratias

non semel ageres. Quod quidem quantæ humanitatis sit, ut tantus Pontifex Christianæ Religionis Princeps, Christi in terris Vicarius humillimum, atque indignissimum hominem audiat, collaudet, accersat, gratiis prosequatur, dici oratione non potest. Quibus quidem rebus tametsi ego indignus sum, gaudeo tamen, mihi potissimum contigisse, ut in me tanta tua mansuetudo eluceret. Cupiens itaque tuæ Beatitudini meum animum aliquo vel levi officio significare; & tenuitatis meæ conscius, quum neque haberem quod offerrem, neque vellem vacuus ad sanctissimum tuum conspectum accedere, eam ipsam, quam habueram, Orationem tuæ mansuetudini legendam obtuli: ratus, me tibi rem non ingratam facturum, si quod tibi semel auditum quasi eminus placuisset, cominus legendum, atque habendum traderem. Neque dubitavi, ne, exacto jam suo tempore, gratiam novitatis amisisse oratio videretur; quum soleant, quæ semel placuerunt, etiam repetita non displicere, & tuæ Beatitudini oblatæ res sacræ, ut Hostiæ, quæ Deo offeruntur, semper tempestivæ sint. Neque etiam

ma

maximi tui aut acumen ingenii, aut severitatem judicii veritus sim, quod plerique scriptores vereri solent; quum quasi vadem habeam testimonium, ac praejudicium tuum; nec putem, quod semel placuit, displicere jam posse. Accipe igitur exiguum quidem, & tua magnitudine indignum munus, sed nostri erga te optimi animi certissimum pignus, nostraeque servitatis quasi validissimum auctoramentum: eoque animo nostram hanc oratiunculam accipe, quo Deus duos vetulae obolos dicitur suscepisse. Quum enim Principes dare magis deceat, quam accipere, quippe qui dando beatiores, ac Deo similiores fiant, siquid ipsi ab aliis accipiunt, ipsius Dei exemplo, & dantis animum debent librare, non munus, & pro exiguis maxima, amplissimaque referre. Quarum rerum, si ego a tua Beatitudine alteram impetravero, ut studium, atque animum nostrum non spernas, utramque me impetrasse existimabo. Quum vero aliquid otii nactus fuero, ut me ad scribendum referre queam, dabo operam, ut intelligas, quantum tibi debeam, quantique semper tuam Beatitudinem fecerim.

rim. Tu interea Christianam Rempublicam, ut facis, & defende, & serva; nostræque exiguitatis, quum licet, te memorem esse non pigeat. Vale.



ORA-

ORATIO.



Tsi Tuus, tuique sacratissimi Senatus jucundissimus conspectus, celeberrimusque hic totius orbis terrarum Conventus, me majorem in modum recreat, atque exhilarat, Beatissime Pater: quippe quem ego semper optaverim, sperare vix unquam sum ausus; vincit tamen mœror publicus privatam lætitiam, communisque Ecclesiæ Christianæ luctus, unum me hilaritatem præmeferre non sinit. Video enim squalere, depositis ornamentis, pulvinaria omnia; nudata mœrere altaria, parietes ipsos situ quodam suum dolorem significare. Te quoque, ac senatum tuum, mutata veste, communem Ecclesiæ mœrorem, luctumque testari. Neque sane immerito; commemoratur enim nobis hodie, Salvatoris nostri mors acerbissima: proponitur ante oculos crudelissimum divinæ Crucis spectaculum: indignissima Dei Filii Passio celebratur. Cujus quidem tum magnitudo, tum acerbitas tum indignitas, quum ad nostram memoriam revocatur: quis hominum, obsecro, est tam immanis, tam sce-

sceleratus, tam ab omni religione, atque humanitate alienus, qui dolorem dissimulare, atque a lacrimis temperare unquam possit? Non enim nobis hodie amicus aliquis, non propinquus, aut consanguineus, non frater, aut pater, non denique princeps aliquis civitatis, defunctus refertur: sed totius naturæ Auctor, & Conditor, humani generis universi Redemptor, & Parens, dignitatis, ac salutis nostræ Instaurator, & Effector: verus denique, ac naturalis Dei Filius, a quo omnis vitæ nostræ ratio, incolumitatisque dependet: in quo spes nostra omnis est sita: per quem & quæcumque habemus, accepimus omnia & quæcumque speramus, accepturi sumus. Hic inquam, nobis hodierno die defunctus refertur: hic mortuus celebratur: hic deploratur extinctus. Neque vero naturali, ut plerique homines, morte decessit; sed violenta ereptus est: neque etiam quacumque, sed turpissima, abjectissima, indignissima Crucis morte multatus est. At meritas fortasse suorum scelerum pœnas dedit? Immo vero, pro nostris flagitiis, pro nostris criminibus, pro nostra turpitudine: quum ipse innocentissimus esset, neque quicquam aut admisisset unquam, aut admittere potuisset, ultro se cruciandum, occidendumque exhibuit. Quæ quidem quum a nobis

bis audiuntur, quum leguntur, quum celebranda proponuntur: quo tandem animo esse debemus, Beatissime Pater? quo pacto dolorem dissimulare? quomodo lacrymas continere possumus? quo vero ingenii flumine? qua copia dicendi? quanta vi eloquentiæ, ad explicandum divinæ Crucis mysterium, opus esse censemus? Non enim nunc aut Gavianam crucem, ut Tullius; aut Cæsaris necem, ut Maro; aut principis alicujus mortem, ut veteres sæpe fecere, deploramus, aut describimus: sed eam Crucem, in qua Christus Rex regum, Princeps principum, verus Deus, Deique Filius, ab iis ipsis, quos creaverat, quos legibus erudierat, quos innumeris beneficiis affecerat, quorum denique caussa factus Homo, ad homines venerat, contra jus, fasque omne crucifixus est. Quam quidem mortem & cœlum, & sol, & sydera, & elementa, & creata universa luxerunt. Hanc vero quum nulla vis eloquentiæ attingere, nullum ingenii acumen penetrare, nullius mentis amplitudo comprehendere, aut complecti queat: & tamen ipsa diei celebritas, demandatique nobis officii necessitas nos cogat non tacere: ab Auctore omnis ingenii, omnis eloquentiæ, initio dicendi opem suppliciter implorabimus, ut, quod de ipso, ad ejus gloriam dicere ast-

ſtatuimus ; de ipſius potiſſimum, quantum ipſe expedire novit, in nos munere, ac liberalitate proveniat. Et qui ſuam ex infantium, & lactentium ore laudem perficit, nobis in ſuo nomine congregatis, de ſe aliquid non indignum dicere cupientibus, adeſſe dignetur. Quoniam autem & altiſſimum Crucis myſterium, & Chriſtum in Cruce pendentem hodie celebramus, ipſam potiſſimum hoc carmine Crucem venerabimur.

Supplicium ſervorum olim, nunc gloria regum,
Mors olim miſeris, nunc data vita reis.
Crux, ſolium, curruſque Dei, ſpes unica Mundi,
Sis via, ſis noſtræ porta ſalutis, Ave.

Cum univerſa Salvatoris noſtri vita, tum ejus in primis Paſſio, BEATISSIME PATER, nobis non modo exactiſſime cognoſcenda, verum etiam, quoad fieri poteſt, perfectiſſime imitanda eſt; ut quemadmodum Chriſtus non ſolum præceptis nos ſaluberrimis erudivit, ſed ſanctiſſimis quoque exemplis inſtituit; ita nos & quæ docuit, fideliter retineamus, & quæ geſſit diligenter imitemur; propterea enim docuit, ut ſciremus; propterea geſſit, ut ageremus. Quæ duo nobis per Moſem myſtice ſignificat dicens: Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi

tibi in monte monſtratum eſt. Quanquam autem univerſa ejus, ut dixi, vita (quippe quæ omni virtutum. ac perfectionum genere conſummatiſſima fuerit) nobis perdiſcenda, atque imitanda eſt: ejus tamen in primis Paſſio, quæ cumulum quemdam virtutum, perfectionumque omnium, utpote poſtrema ejus vitæ pars, complexa eſt; nobis cum in reliqua vita, tum hoc potiſſimum tempore ad memoriam revocanda, & ad imitationem proponenda eſt, dicente Petro Apoſtolo: Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus. Nam, ſi paupertatis exemplum quærimus: nudatum hodie Salvatorem, & omni terræ habitatione deſtitutum, in Cruce ſublimem, ipſum etiam caput ubi reclinet non habentem, conſpicimus. Si pudicitiæ teſtimonium poſcimus: eum Matrem virginem virgini diſcipulo commendantem audimus. Si obedientiæ formulam deſideramus: eum non modo Deo Patri, ſed peſſimis quoque, ac viliſſimis hominibus uſque ad mortem obſequentiſſimum intuemur. Si liberalitatem in eo, beneficentiamque requirimus: eum non lacrymas modo, ſed ſanguinem quoque ipſum, ſalutis noſtræ gratia paſſim effundentem, immo etiam corpus, atque animam, rerum omnium chariſſimam, ſaluti

luti nostræ donantem cernimus. Si clementiam in eo, & animi magnitudinem postulamus: eum pro inimicis orantem, latronique ignoscentem videmus. Quæcumque denique virtus, quæcumque animi perfectio aut reperiri in homine, aut desiderari potest, ejus in Christi Passione clarissimum nobis exemplum ostenditur. Quæ quidem omnia si ego oratione prosequi vellem, nullus esset dicendi finis omnino. Sed quoniam ego apud sapientissimum Pontificem, Senatumque doctissimum verba facio: quem docere ex hoc loco nec possum, nec debeo; ut demandatum mihi munus quoquomodo expleam, ex infinita illa virtutum multitudine, quas hodie nobis in Passione Salvator discendas, imitandasque proposuit, quatuor tantum, quæ ad cognoscendum dignissimæ, & ad imitandum aptissimæ mihi visæ sunt, commemorabo: summam ejus justitiam, charitatem singularem, inauditam humilitatem, patientiam incredibilem, vereque divinam. Neque etiam has ipsas universas explicabo; non enim omnia aut ego dicere, aut tu BEATISSIME PATER audire unquam posses: sed ex singulis paucissima tantum, & quæ optima, & commodissima videbuntur, perstingam. Tu, tua sapientia, ex his, quæ dicam, cetera facile deprehendes.

Ac de justitia quidem dicere cogitanti, illud præfari libet, me de Christi virtutibus, non quidem absolutissime, ut par esset, quasi de Divinis (nam id quidem nemini mortalium arbitror posse contingere) sed quasi de humanis, leviter, atque humano more locuturum. Atque in hac quidem virtute cum multa præclara, atque admirabilia sint; quæ in divinam laudem referri queant: illud in primis, & maximum, & maxima admiratione dignum occurrit: quod Deus hominem a se creatum, in sua potestate constitutum, sibi a suo nequissimo servo versutiis, dolisque subtractum, violenterque detentum, quum ex ejus manibus eripere jure suo & deberet, & posset; redimere tamen ingenti precio maluit. Quid enim, ut verum fateamur, juris in conditum paulo ante hominem diabolus habebat? Immo quum ipse & ab eodem Deo paulo ante conditus, & ejusdem Domini, vellet, nollet, servus esset, quid in illum habere juris poterat? At peccaverat, inquit, homo, & seipsum diabolicæ ditioni subdiderat. Primum ego hoc a te requiro, diabole (tecum enim mihi modo res est) quis tibi hoc juris in hominem dederat, ut eum dolis præriperes? circumvenires? falleres? an alienum eum servum esse nesciebas? quæ tibi in alienum

ſervum poteſtas? an te quoque ſervum, & ejuſdem Domini ſervum eſſe non memineras? Debebat certe te id ſatis, abundeque docere, caſus tuus. Quod ſi es ejuſdem Domini ſervus, eique etiam tuo ſcelere inviſus, atque odioſus eras, quæ tibi in alieno regno poteſtas? quod tibi in alienum ſervum, immo in tuæ ſervitutis ſocium, adhuc innocentem, ſuoque Domino parere cupientem, jus erat? ſed permittamus tibi, ut eum invidia, & malignitate tentares: neque unde tu cecidiſſes, ibi conſiſtere hominem patereris. Fateamur peccaſſe hominem, & ſupplicium meruiſſe: quis, obſecro, eum tibi puniendum, cruciandumque tradiderat? quis te ejus delicti vindicem, & carnificem fecerat? Nonne igitur Deus ſervum ſuum, in ſuo regno, a ſuo ſervo, per invidiam circumventum, diuque detentum, jure optimo ex ejus manibus eripere poterat? immo vero, etiam debebat? Quod quidem ſi feciſſet, quis poſſet aut de eo jure conqueri, aut eum injuſtum appellare? Noluit tamen jus ſuum in ſuos, ut poterat, exercere juſtiſſimus Deus: ſed officii plurimum apud ſe remanere placuit: & quem ſibi ſuo jure vindicare poterat, eum redimere precio perſoluto maluit.

Quam vero mirabiliter, quam decenter, quam cumulate redemit? Ita ut, neque

que hominum , neque Angelorum quiſquam , non dico explicare , aut ſcire , ſed ne cogitare quidem tantam divini conſilii altitudinem unquam potuerit . Debebat homo pro ſeipſo ſatisfacere ; ſed non poterat : poterat Deus ; ſed non debebat . Hic attende ſummum conſilium , inſcrutabile ſacramentum , incomprehenſibilem divinæ Providentiæ rationem : conjunxit utramque naturam Deus ineffabili illo , ac divino nexu;atque ita conjunxit, ut quod eſt omnium amirabilium maxime mirabile , una in ambabus perſona conſiſteret ; & quod impoſſibile videbatur , unus , atqne idem pro univerſo humano genere ſatisfacere & deberet , & poſſet . Quid , quod eiſdem rationibus , quibus delictum admiſſum fuerat , ne qua juſtitiæ pars deeſſet , ſatisfecit ? Primus enim parens inobedientia , atque elatione deliquerat , Chriſtus obedientia , atque humilitate expiavit : ibi mulier perditioni initium ; hic mulier initium redemptioni dedit : illa peccato divinas execrationes ; hæc innocentia divinas pollicitationes , ſive (ut vulgo dicere ſolemus) benedictiones meruit : illa ſerpentis voce decepta eſt ; hæc Angeli voce concepit : illa denique virum nocentem fecit ; hæc Filium peperit innocentem . Adam porro comedendo peccavit ; Chriſtus jejunando peccata delevit :

 ille

ille per lethiferum interdictæ arboris lignum a serpente superatus est; hic per salutare sibi oblatæ Crucis lignum, serpentem acerrimum humani generis hostem superavit. Quid plura? ille sibi, & posteris sua morte mortem attulit; hic & mortuos, & morituros omnes, unica sua morte liberavit; atque ita liberavit, ut æternam omnibus vitam, beatitudinemque conferret. Quid obsecro, in hac redemptione justius ab ipso etiam Diabolo aut peti, aut desiderari posset? Quid si ipse pro tribunali sederet, aliud vel ab homine, vel a Deo ipso postulare auderet? Verum hæc nobis, BEATISSIME PATER, profecit, nobis, inquam, hæc est collata justitia: nos, quum hæc ageret, Salvator adspiciebat: nos erudiebat: nos ad suam imitandam justitiam provocabat. Quum enim ipse talem se in redimendo humano genere, etiam adversus hostem, ac servum suum diabolum, exhiberet; qualis tu, ceterique Pastores, in hoc grege servando, atque alendo, esse debeatis, præscribebat. Sed de justitia satis est dictum.

Venio nunc ad Charitatem, qua ipse non modo mortales; ut in virtutibus aliis, sed quod incredibile dictu est, & ipsam charitatem superavit. Quanvis enim eam hominibus, ipso suo adventu, ita ostendisset,

ut

ut nulla major ei veniendi caussa videretur extitisse; quanvis eam in universo vitæ cursu ita omnibus declarasset, ut nemo ejus expers, atque immunis esset; eam tamen hodierno die, tantis, tamque illustribus argumentis patefecit, ut quæ antea fecerat, omnia nulla fuisse posses existimare. Quale enim obsecro, aut quantæ charitatis fuit, quod in suprema illa mystica cœna Corpus, & Sanguinem suum, novo quodam. & infallibili instituto, discipulis omnibus impertivit? atque ita impertivit, ut ad posteros quoque omnes, incredibilis illa suæ divinitatis diffusio, & communicatio propagaretur? Magnum quidem fuerat, magnæque bonitatis, & charitatis argumentum, hominem sibi similem creare, creato universa subjicere: majus; captum, venumdatumque redimere: maximum; ejus gratia mortem subire. Se vero singulis totum quotidie tractandum, vescendum, immolandumque tradere, quo tandem charitatis gradu statuam? quantæ magnitudinis esse dicam? Desunt, Beatissime Pater, tantæ rei explicandæ accomodata vocabula: desunt ad ea excogitanda humani vires ingenii: vincitur sermo rei magnitudine: quicquid de ea vel dici lingua, vel mente comprehendi potest, multo re ipsa minus, atque inferius est. Quanquam autem in

hac virtute, multa præclara, atque admirabilia sunt: quæ ego tum quia tibi nota esse arbitror, tum quia ad cetera propero, ne te diutius detineam, consulto relinquo: illud tamen silentio præterire non possum, quod Salvator proditorem suum, quem & antea noverat, & aliis indicaverat, ut a scelere revocaret, eodem, quo ceteros suæ divinitatis munere impertivit: moxque ad se cum militibus, ut osculo proderet, venientem, non modo non est aversatus, sed blandis quoque vocibus appellavit, & benigna fronte suscepit. O novam, inauditamque charitatem: o ingentem humanæ salutis ardorem: quis hoc factum unquam post hominum memoriam aut audivit, aut legit? quis fieri ab homine posse existimavit? Proditurum sciebat, & convivam esse patiebatur: invisum se illi noverat; & ei se ultro ingerebat: videbat prodentem; & amicum appellabat. Tu vero, iniquissime, ac perfidissime Juda, tam multis, tam claris ejus in te amoris signis, argumentisque perspectis, quo tandem animo rem tantam aggredi, tantum scelus concipere, tam impium facinus audere, tam dirum nefas perpetrare potuisti? Num tui officii, cum hæc faceres, memor eras? num tuæ vitæ, salutique prospiciebas? num ejus in te benevolentiæ, meritorumque memineras? Sed,

ut

ut tunc illo Collegio, ita nunc hoc Pontifice, hoc Senatu indignus es. Redeo igitur ad Salvatorem: cujus quidem dum singulas ab eo res hodierno die gestas contemplor, nihil invenio, in quo non ejus charitas singularis eluceat. Quæritur a militibus, & seipsum indicat: inventus iterum quæritur, & iterum quærentes se docet: prostratos erigit: incitat trepidantes: capientes hortatur: curat vulneratos: discipulos a sui defensione prohibet. Ductus vero ad Pontificem, & labentem Petrum confirmat, & verberantem Ministrum coarguit; & quis ipse sit, intrepide confitetur. Quæ quidem omnia ab uno, eodemque charitatis fonte procurrunt; ab incredibili nostri liberandi ardore proficiscuntur. Sed singula prosequi oratione non possum: extrema tamen illa, quæ in Cruce positus gessit, tacere non valeo. Pendebat in Cruce, manibus, pedibusque confixis, omnium naturarum conditor, omnium seculorum Princeps, omnium mortalium salus: utrinque latronibus stipatus erat. Hinc eum Scribæ, & Pharisæi maledictis, & conviciis insectabantur: hinc vulgus ei dira imprecabatur: inde milites ei certatim illudebant. Inter hæc ludibria, inter hos cruciatus, quæ vox ejus audiebatur? sitio. Quæ, inquam, vox ejus audiebatur? Pater, ignosce illis, quia ne-

nesciunt, quid faciunt. Quid sibi, obsecro, istæ voces volunt? quid hi clamores, BEATISSIME PATER, significant? In Cruce pendet; & de siti cogitat: vix animam tenet; & potum affectat; de morte certissimus est, & vitam sustentare desiderat. Profecto non hoc sitit, non hoc affectat, non hoc desiderat. Quid igitur sitis, fons inexhauste, qui Te universam omnium sitim, tua illa perenni, & in vitam æternam scaturiente lympha, in perpetuum extincturum es pollicitus? Nostram profecto salutem sitis: nostram redemptionem affectas: nostram reconciliationem incredibili ardore desideras. Altera vero vox illa, quæ veniam hostibus implorat, quantæ, obsecro, charitatis est? Magnum est profecto, inimicum non odisse: multo majus, amare: quid, beneficiis prosequi? Hoc qui faciat, non ego hunc summis viris comparo, sed simillimum Deo judico. Postremo vero, dulcissima illa Matris, & Discipuli commendatio, quam vehementem, quam castum in utrumque amorem indicat? exhalabat animam, & Matris, ac Discipuli curam non remittebat: seipsum non curabat, & de suis sollicitus erat. O inauditam pietatem: o charitatem incredibilem, vereque divinam: o rem omnibus filiis, omnibus amicis imitandam. Nullum officii genus Salvator noster

ster in quemquam prætermisit: nullum in omnes perfectæ charitatis indicium non exhibuit: adeo ut alteri e latronibus veniam postulanti, in extremo spiritu positus, beatitudinem largiretur. Quid hoc majus? quid admirabilius cogitari potest? ut eum, qui vitam in sceleribus consumpsisset, ibique ad ejus ignominiam esset collocatus, orantem exaudiret? se commendantem susciperet? veniam postulantem, non modo venia, sed gloria quoque, & immortalitate dignum judicaret? Hæc Salvatoris nostri charitas est, Beatissime Pater, hæc ejus institutio, nobis, non modo plurimis, & clarissimis, ut vides, exemplis, sed præceptis quoque frequentissimis, atque arctissimis, commendata. Hanc nos, si Christi memores, si imitatores, si denique Christiani esse volumus, & inter nos fidelissime retinere, & usque ad inimicos extendere, ac propagare debemus.

Sequitur Humilitas, virtutum omnium præstantissima, Christianis hominibus maxime propria, veteribus pene ignota. Eam enim Christus non modo vivens, ac moriens & servavit, & docuit, verum etiam nascens ex Materno utero secum attulit. Ante omnia enim divinæ naturæ sublimitatem, usque ad humanæ fæcis abjectionem depressisse; quantæ, obsecro, humilitatis fuit

fuit? quis poteſt hoc verbis proſequi? quis mente, aut cogitatione concipere? Venturus porro ad homines homo, virginem quidem, ſed humilem, ſeni pauperi desponſam Matrem deligit. Naſcitur Rex omnium ſeculorum non in Regia aliqua, vel civitate, vel domo, ſed in humili, obſcuroque oppidulo; in ſordido, atque immundo jumentorum ſtabulo. Excipitur non ab ingenti ſervorum multitudine, in auro & purpura, ſed a ſola Matre, in fœno, vilique palliolo. Omitto infantiam ejus, & pueritiam in fuga, exilio, & trepidatione tranſactam. Taceo adoleſcentiam parentum inopiæ, imperioque ſubjectam. Non explico reliquam vitam, in ſumma paupertate, ſine ſervis, ſine domo, ſine pecunia, nunc in navi, nunc in ſolitudine, tum inter piſcatores, tum inter publicanos, & infames homines, magna ex parte traductam. Prætereo de induſtria labores, contumelias, jurgia, ludibria, & innumerabilia pene vitæ pericula: quæ mortalibus erudiendis perpeſſus eſt. Paſſionem enim nunc ejus, non vitam narro: neque volo te, Beatiſſime Pater, noſtra diutius Oratione detinere: venio ad ea, quæ noſtræ inſtitutionis propria ſunt. Moriturus Dei Filius pro mortalium omnium ſalute, non humillimum, obſcuriſſimumque oppidulum, ut na-

nascens, sed illustrissimam totius Judææ civitatem, in medio pene terrarum constitutam; toto orbe notissimam, clarissimamque delegit: ut quos ejus ortus latuerat, obitus saltem non lateret. Num suam, suorumque, quum id faceret, infamiam timuit? immo vero appetiit. Num de eorum quos ad se converterat, fide, aut constantia, dubitavit? immo, ita demum confirmari arbitratus est. Quo vero pacto Hierosolymam moriturus intravit? quasi ad triumphum, non ad mortem accederet. Intuere, quæso, Beatissime Pater, atque oculis subjice triumphantis Salvatoris ingressum. Insidet non albis quadrigis, auro, purpurave constratis, sed vilissimæ asinæ brevi discipulorum pallio velatæ. Præcedunt eum non senatorius, atque equester ordo, imperatorem collaudans, sed innocens puerorum turba Hosanna clamantium. Subsequitur non armatus exercitus, sed imbellis mulierum, discipulorumque multitudo. Hic est nostri Imperatoris ingressus: hæc pompa triumphantis. Quid Cœna illa Paschalis? quam parca? quam moderata? quam humilis? quid illa post Cœnam pedum lotio? quantam nunc etiam audientibus admirationem affert? surgit a cœna Deus occultus, homo manifestus: humilitate, & majestate pari: deponit pallium:

lium: linteo præcingitur: aquam poſcit: ad ſingulorum ſe diſcipulorum pedes ſubmittit: lavat ſingulos diligenter, inter quos etiam a proditore non abſtinet. O inauditam omnibus ſeculis humilitatem: o virtutem mortalibus antea prorſus ignotam: o rem admirandam omnibus, paucis imitabilem. Quis hoc regum? quis principum? immo, quis mortalium omnium ante id tempus aut facere, aut cogitare unquam potuit? Exprimere animus verbis admirationem tantam non poteſt: non poteſt tantam humilitatem lingua mortalis explicare. Sed dum in his hæreo, quaſi hæc maxima ſint, majora non video. Quid enim lotos diſcipulorum pedes commemoro? Vide, quæſo, BEATISSIME PATER, eum ſe ad oſculum uſque proditoris inclinantem: vide, eum ſe hoſtibus capiendum, ligandum, irridendumque ultro permittentem: vis videre quam ultro? Proſtratos ab eo unica voce tot armatos milites, atque ab eodem erectos, confirmatoſque conſidera. Vide, inquam, quam ſubmiſſe pontifici maximo, ſacerdotibuſque reſpondeat? quam humiliter cum prætore colloquatur? quam ſerviliter inter milites commoretur? Quæ quidem omnia, ne te morer, conſulto prætereo. Illud, quod humilitatis caput eſt, præterire nullo mo-

do

do possum: quam abjectum, quam ignominiosum, quam vile pro mortalibus mortis genus elegerit? Crux olim fugitivis tantum, & servis, aut furibus, & latronibus parabatur: at hanc potissimum humani generis Redemptor, omnis humilitatis auctor, ne quisquam eam in posterum horreret, assumpsit; atque ita assumpsit, ut nullum in ea probrum, nullam ignominiam, nullum dedecoris, aut ludibrii genus declinaret. Pendebat sublimis in altissima Cruce, Dei Filius, cœli, terræque Parens, ac Dominus omnium seculorum, ac gentium Rex, & Princeps sempiternus: Pendebat, inquam, in celeberrimo terrarum emporio, in clarissima Judææ civitate, in editissimo Calvariæ vertice, ubi de damnatis supplicium sumi mos erat. Pendebat vero, inter duos latrones constitutus, spectante Matre, suisque omnibus, spectante ingenti judæorum, ceterarumque gentium, quæ eo convenerant, multitudine. Ne quid vero ad ignominiæ cumulum, humilitatisque deesset, maxime solemni totius anni die imminente, Cruci affigi voluit. Quid, obsecro, humilius? quid ignominiosius excogitari potuit? Ut nos & ab æterna servitute liberaret; & Deo subjectos, nostræ salutis gratia, redderet; servilem, atque abjectam mortem li-

libertatis auctor subire non dubitavit? O mira, o incredibilis Salvatoris mansuetudo: O Divina, ineffabilisque benignitas, ut ex servis liberos, ac beatos faceret; Deus, & servus, & miser effici non dubitavit. Hæc est illa humilitas, quam ipse nobis in Evangelio tam sæpe commendat, quam suo exemplo tantopere discendam nobis, imitandamque proponit. Hæc est, quæ & Deum e Cœlo advexit in terram, & hominem e terra in cœlum evectura est. Sed de humilitate satis.

Huic conjuncta Patientia est, quæ una ex iis, quas proposuimus, virtutibus reliqua est. De qua quidem, quoniam multa jam, quum de humilitate ageremus, sunt dicta, & ego ad finem propero (video enim me jampridem abuti benignitate tua, BEATISSIME PATER), quædam, quæ ejus virtutis propria sunt, paucis absolvam. Nam, ut omittam, quam multa in tota vita omnis generis incommoda, probra, pericula, & quam patienter Salvator pertulerit; qualem se, quum a militibus caperetur, quum ad sacerdotum Principem duceretur, quum ab illo interrogaretur, exhibuit? quam multis eum contumeliis, jurgiis, ludibriis, ab inimica, atque invida, & odium explere cupiente multitudine affectum fuisse existimas? Videre videor crudelissimos homi-

mines, omnem feritatis, atque insaniæ vim, in unum certatim effundentes. Alii enim eum rapere: alii post tergum ligare manus: alii vultum colaphis cædere: alii pectus, ac renes verberare: hi hominem sputis fœdare: illi jurgiis, ac maledictis insectari: ipse tamen omnia patientissime perferre, ac pati. Pro nefas, ubi mansuetudo? ubi ratio? ubi lex, ubi ordo naturæ? capitur invisibilis, tenetur impalpabilis, ligatur incomprehensibilis, trahitur immutabilis: & qui nullam vim sentire potest, ab omnibus passim verberatur, conspuitur, cæditur: & tamen nullam in quemquam vocem emittit: immo omnia non modo patientissime nostra caussà, verumetiam libentissime tolerat. Verum hæc parva admodum, & exigua sunt. Quid, quum prætorianis militibus traditus, atque in prætorium ductus est? quam multa, bone Deus, quam indigna, quam nefaria perpessus est? Propone tibi ante oculos, obsecro, BEATISSIME PATER, Deum ipsum, mundi Auctorem, totius naturæ Parentem, hominum Creatorem, Salvatorem, Redemptorem, ab iis ipsis, quos creaverat, quos redempturus venerat, captum, vinctum, accusatum, damnatum, irrisum, conspulum, verberatum: propone tibi, inquam, Regem seculorum, cœli, terræque Principem, fu-

futurorum bonorum Pontificem, tabernaculum non manu factum, inter sceleratissimos milites constitutum, spinis coronatum, coccino indutum, ab aliis per ludibrium regem salutatum, ab aliis pulsatum arundine, ab aliis omni maledictorum genere lacessitum, omnibus denique injuriis, contumeliisque expositum, omnia tamen æquissime, ac mansuetissime tolerantem. Sed parum dico, quum Deum ab hominibus hæc omnia perpessum esse dico. Non est tantis injuriis expleta crudelitas: non est impietas satiata: immo nonnisi hausto demum divino Sanguine satiari potest. Nudatur ergo decorum Christi Corpus; & membra etiam Angelis verenda coram sceleratissimis hominibus deteguntur. Ligatur ad columnam mansuetissimus Agnus; atque a validissimis, crudelissimisque militibus diu, omni ex parte, virgis durissimis cæditur. Pro dolor, cædebatur virgis in medio Hierosolymæ foro a sceleratissimis hominibus, innumerabili spectante multitudine, Salvator Mundi: & tamen nulla, inter crepitus, doloremque plagarum, ejus omnino vox audiebatur. O invictam patientiam: o mansuetudinem incredibilem: Ego quidem eam quibus verbis exprimam non reperio. An nondum tua, judæe impie, satiata crudelitas est? Ego quidem hæc

hæc sine multis lacrymis referre non possum: tu ea siccis oculis spectare potuisti? ego hæc ore pronuntians ingenti pudore afficior: tu, quum ea tuis manibus perpetrares, non erubuisti? Sed quid eos non erubuisse, aut non commotos esse conqueror? utinam, utinam iis cruciatibus eorum contenta fuisset impietas: utinam se his crudelitatis finibus eorum sævitia continuisset. Verum, nonnisi visa demum nece, novit feritas insana consistere: nonnisi ad internecionem sæviat, potest odium crudele satiari. Quid igitur tibi ultra petendum? quid faciendum restat impietas? Crucifigatur, crucifigatur, inquit. O vox impia: o perversa voluntas: o feritas inexplebilis. Facinus est vincire Deum: scelus, ludibriis afficere: parricidium, virgis cædere: quid dicam, in Crucem tollere? Verbum satis dignum, quo tam nefariam rem appellem, Beatissime Pater, non reperio. Tollitur igitur in Crucem, plagis innumeris affectus, & cruorem toto corpore manans patientissimus Jesus: manus, pedesque vix reliquo corpori præ multitudine plagarum hærentes, clavis durissimis confodiuntur: hiat undique vulneribus: totus doloribus, & cruciatibus deficit: & tamen iis omnibus Judæorum impietas adhuc contenta non est: insultat etiam confixo: ma-

ledictis, & amarissimis verbis illudit: Alios, inquit, salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Lacrymas quum cæderetur, paulo ante non tenebamus: quid nunc quum Cruci affixum cernimus, facere tandem debemus? Si hæc non ad Pontificem clementissimum, non ad religiosissimum Senatum, non ad Christianos fidelissimos; denique si non ad homines, sed ad bestias; & ut longius progrediar, si hæc non Romæ, sed in aliqua deserta solitudine, ad saxa, & scopulos loqui, & deplorare vellem, nonne & muta, & inanimata omnia, tanta, ac tam indigna rerum atrocitate commoverentur?

Quali igitur nos in Salvatorem nostrum animo esse debemus? Propone tibi nunc, BEATISSIME PATER, immensum, clavorum manus, ac pedes trajicientium, dolorem: propone pendentis cruciatum: imaginem confixi parumper intuere. Erat inter latrones medius, in altissima Cruce confixus Dei Filius: hinc a Matre, & a discipulis deflebatur: inde a sacerdotibus, & scribis lacerabatur: milites eum potus amaritudine cruciabant: latro vocibus insectabatur: inscriptio ludibrium, doloremque augebat: vulgus de eo varie loquebatur. Inter hos dolores, inter hæc tormenta, quænam, obsecro, voces illius erant?

Num

Num quemquam accusavit? num coarguit? num ea se inique ferre, num illis iratum esse ostendit? minime. Quid ergo ait? Pater ignosce illis: quia nesciunt, quid faciunt. O vox summæ patientiæ, summæ clementiæ, summæ mansuetudinis: quum innocentissimus sis, Te a sceleſtiſſimis hominibus, contra jus, fasque omne comprehendi, vinciri, accusari, damnari, corripi, cædi, atque in Crucem agi, permittis. Tu vero hæc omnia non modo patientissime toleras, verumetiam, ut ea illis condonentur, affectas. Illi te accusant; tu eos excusas: illi damnant; Tu conaris absolvere: illi execrantur; Tu bene precaris: illi tibi necem inferunt; Tu pro eorum vita Patri supplicas. Quid obsecro, ad hanc mansuetudinem, ad hanc Patientiam addi potest? immo quibus hæc verbis non dico extolli, sed æquari, aut pronuntiari satis queunt? Nullus eloquentiæ fluvius, nulla vis dicendi, nulla humana vox, nulla mortalis lingua hæc consequi unquam posset. Ubi mare illud eloquentiæ Tullianæ? ubi terrens fluvius Demosthenis? Nunc profecto muti essetis ambo, & vestra lingua torpesceret. Qua vero de caussa tot dolores, tot cruciatus, tam indignam necem, ille, qui tam innocens est Deus, ut pateretur, adductus est? Nostra profecto caus-

ſa, noſtra inquam cauſſa, BEATISSIME PATER, ut hæc omnia pateretur, adductus eſt. Noſtra ſcelera, noſtra flagitia eum in Crucem egerunt: nos omnium dolorum, omnium cruciatuum illi auctores ſumus: nobis comprehenſus, nobis accuſatus, nobis damnatus, nobis cæſus, nobis denique in Crucem actus eſt. Quid vero a nobis exigit, BEATISSIME PATER? niſi id, quod nobis maxime expedit; quod nos ultro illi offerre deberemus: ut ſobrie, caſte, & pie vivamus: ut fidem, juſtitiamque ſervemus: ut ejus & præcepta fideliter retineamus, & exempla conſtanter imitemur. Quæ quidem omnia, ſi volumus, neque nos ipſos valde amamus, & facillima nobis, & commodiſſima ſunt.

Obediamus igitur, BEATISSIME PATER, Deo, nobis tam juſte, tam benigne, tam utiliter imperanti, Tam multa pro nobis, & tam patienter tolerantem, quoad poſſumus, imitemur. Servemus in proximos, atque æquales, quam ipſe non dubitavit in ſervum, atque hoſtem ſervare juſtitiam. Charitatem, quam ipſe uſque ad inimicos extendit, omnibus veram, ſinceramque exhibeamus. Neque pudeat nos, quum homines ſimus, hominibus miniſtrare, quando etiam Deus ipſe hominibus miniſtravit. Nec obſecro, pauperes, atque humilis fortunæ homines faſtidiamus; quum Salvator ipſe

ipſe & pauperrimus, & humillimus ſemper fuerit. Remittamus adverſariis noſtris injurias; quum ſciamus, illum pro inimicis, atque interfectoribus ſupplicaſſe. Quæcumque denique acciderint adverſa æquo animo toleremus, quum illum tam multa, tamque indigna, noſtra cauſſa, perpeſſum eſſe meminerimus. Quæ quidem omnia, ſi nos, ut debemus, & poſſumus, præſtiterimus; & Chriſtus ſuæ Paſsionis ampliſsimam gloriam, & nos noſtræ imitationis fructum uberrimum, & cumulatiſsimum reportabimus.

FINIS.

